



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Libri IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

& quantum potest publicam ei notitiam conferat: quæ tamen obligatio respectu Penitentis qui particeps est criminis, vix contingere potest, quia nemo seipsum in iudicio denuntiare tenetur: quod moraliter loquendo faceret denuntiando complicem. Potest autem sepe contingere respectu eorum, quorum non fuerit socius criminis: & tunc suæ obligationi debet satisfacere per seipsum: quod si non possit, vel excusabitur, vel certe, si bonum commune non relinquat locum excusationi, per alium faciet, cui rem communicet extra confessionem.

Postremum est, eodem modo quo ad corrigendum complicem vti licet in dicitur Confessarij, licere quoque ad vitandum aliquod magnum nocuum, aut ad procurandum aliquod magnum bonum honeste de causa. Sic (ait Suarez sub finem eiusdem 4. sectionis) a iultera potest per Confessarium monere socium criminis, vti se in tuto collocet, eo quod maritus ei mortem machinetur. Item si duo fuerint socij in furto, & vnus eorum morti vicinus restituit, potest per Confessarium monere complicem, vt intelligat vel se esse liberum, si toto restituito, partem eidem complici remisit: vel illam ipsam partem esse suis hæreditibus restituendam. Quibus casibus similes alij excogitari possunt. Arque hæc hæc tenus de Confessario. Laus Deo.

## LIBER QVARTVS DE PENITENTE.

### P R A E F A T I O.

**A**DEM methodo, qua antea de Confessario, dicturi de Penitente trademus primo qua in eo antecedere oportet Sacramenti Penitentiae usum: nempe conditiones sine quibus non censetur eiusdem Sacramenti capax: & preparationes quibus ad praesatum usum debet se disponere, cuiusmodi sunt ex parte quidem intellectus, conscientiae ex amen; ex parte vero voluntatis, excitatio ad eundem usum. Trademus secundò rationem, qua debet ad eum ipsum usum concurrere, exequendo rei, & accusatoris, restisque muneris. Tertio demum, que incumbunt ei agenda post talem usum: cuiusmodi (præter gratiarum actionem usurpandam imitatione Leprosi, qui ex D. Lucae cap. 17. vt vidit quia mundatus est, regressus est cum voce magna magnificans Deum, & cecidit ante pedes Domini Iesu gratias agens) sunt: tum impletio Penitentiae à Confessario impositae, de qua commodius dicitur in sequenti parte, cum de satisfactione: tum executio concepti propositi emendandi vitam: tum demum opera quorum usum emendatio vitæ exigit: nimirum oratio, ieiunium, & elemosyna. Complectetur ergo hic liber in prima quidem parte capita sequentia. Primum de conditionibus requisitis in Penitente, vt censetur capax Sacramenti Penitentiae. Secundum de examine eidem vsui præmittendo ab eodem Penitente. Tertium de excitatione voluntatis ad talem usum. Quartum de ratione qua Penitens ad eundem usum concurrere debet. Quintum de executione propositi emendandi vitam, concepti in illo ipso vsu. Reliqua verò in tribus reliquis partibus; quarum secunda erit de oratione, tertia de ieiunio, & quarta de elemosyna.

## CAPVT PRIMVM.

De conditionibus requisitis in Penitente, vt censetur capax Sacramenti Penitentiae.

### S V M M A R I V M.

1. Conditiõ vsus rationis, & quomodo ea deprehendatur a Iesse.
2. Conditiõ susceptionis Baptismi.
3. Conditiõ notitiæ necessariorum ad salutem, siue agendorum, siue credendorum.
4. Conditiõ intentionis suscipiendi tale Sacramentum.



**R**ÆMONENDVM est hominem in hac tantum vita capace esse Sacramentorum quia instituta sunt vt medicamenta humane nature: postquam autem homo per mortem ad æternæ gloriæ terminum peruenit, non est amplius talium medicamentorum capax: cum, tanquam nullo modo obnoxius morbis, non habeat opus Medico: damnatus verò, tanquam æger omnino desperatus, medicamentis foneri non debet. Ad quam vitæ conditionem, in Penitente, vt capax sit Sacramenti Penitentiae, quatuor alias accedere oportet: quarum prima est (quæ à natura suppeditatur) vsus rationis tanquam necessarius ad exercendam in praxi Penitentialis formæ, Penitenti incumbentem contritionem & confessionem.

Sed aduerte difficultatem esse quando talis vsus contingat pueris. Quod enim cum glossa ad cap. 1. De delictis puerorum, communiter assignatur septimus annus, procedere quidem potest quoad forum externum; in quo locus est præsumptioni: non tamen quoad internum, in quo veritas exigitur: & in rei veritate, alij citius ad rationis usum, seu discretionem inter bonum & malum, alij tardius perueniunt, vt experientia docet: septennium autem nonnunquam præueniri, patet ex puero illo quinquenni, quem D. Gregorius in libro 4. Dialog. cap. 18. refert blasphemantem in sinu patris suffocatum esse à Dæmone. Itaque res diiudicanda relinquatur viro prudenti ex iudiciis, quæ puer ipse ostendit discretionis inter bonum & malum: vt si verecundetur ob malefactum: aut si interrogetur, liceatne innocentem interficere, aliena iniungere, Superiori maledicere, & alia eiusmodi & respondeat negatiue: aut interrogatus an bonum sit pauperi esurienti panem portigere, Ecclesiam adire ad seruendum Deo, & alia similia, respondeat affirmatiue: quemadmodum in Enchir. Nauarrus cap. 21. num. 33. annotat. Quæ quidem indicia si adsint ante primum septennium, existimandum est adesse etiã capacitatem peccandi mortaliter, atque consistendi, etiam sub obligatione præcepti Ecclesiæ dati in cap. Omnia vtriusque sexus De Peniten. & remiss. prout notatum est à Syluestro Confessio 2. quæst. 5. Si vero necdum adsint talia signa expleto ipso septennio, iudicandum est necdum adesse capacitatem, & obligationem ad hoc Sacramentum, ex Hostiensij in summa tit. de delictis puerorum. §. Pater.

Secunda conditiõ est, suscepisse Christi baptismum, cuius necessitas satis intelligitur ex eo quod Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. statuit Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Domesticos autem fidei, quos Christus Dominus lauacro baptismi, sui corporis membra temel effecit, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptismi ablui; sed ante hoc tribunal (Penitentiale intellige) tanquam reos sibi voluit. Vnde constat (quod etiam habetur ex sequenti cap. 5.) Sacramenti Penitentiae materiam esse sola peccata post baptismum commissa: quibus cum careat nondum baptizatus, censeri non potest capax talis Sacramenti. Adde quod nec sit aliorum sacramentorum, ex cap. Veniens. De presbyt. non baptizato.

Tertia conditiõ requisita ex parte mentis, est hanc imbutam habere notitiã necessariorum ad salutem; nempe tum communium mandatorum Dei, & Ecclesiæ: quæ qui ignoret inter Catholicos viuens, rarus est, cum modus procedendi bonorum satis talia inculcet: tum etiam

præci-

præcipuorum mysteriorum Christianæ religionis (qualia sunt quæ in Symbolo Apostolorum traduntur credenda ab omnibus) eorum saltem quæ ab Ecclesia solemnizantur institutione festorum; vt ex D. Thoma Nauarro habet in *Enchir. prælud. 4. num. 19. & cap. 11. num. 18.* Rationem de illis erudienti rudes, habes in *præcedenti lib. 2. cap. 13. sect. prior.* Causa autem necessitatis istiusmodi si conditionis, hæc reddi potest; quod Penitentia Sacramentum de se (vnde dicitur sicut & baptisimus, sacramentum mortuorum) instituitur ad peccatoris Deo mortui reuocationem ad vitam: arque adeo ad perdendum ipsum ex statu perditionis ad statum salutis: cui rei obstat ignorantia, siue memoratorum mandatorum, de quibus dictum est à Domino *Matth. 19.* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata] siue præcipuorum mysteriorum credendorum fide catholica, cum item dictum sit à Domino. *Marci ultimo.* Qui non crediderit, condemnabitur.] Nam quæ ignorantur, seruari non possunt, & multo minus supernaturali fide credi: quomodo enim, vt habet *Apostolus ad Rom. 10.* credent ei quem non audierunt? Itaque talem ignorantiam depellere negligens, absolvens non est, tanquam destitutus sufficienti proposito emendationis, cum in eo peccet mortaliter, ex *Nauarro. in cit. numero 18.* & probatur ex detrimento quod per id animæ suæ, infert contra charitatem quam sibi met propter Deum debet.

4. Quarta conditio requisita ex parte voluntatis, est intentio postquam suscipiendi sacramentum, quod ex Christi institutione Sacerdos administrat audita confessione. Huius necessitas ostenditur à similibus, quia ex *cap. Cum pro paruulis. De consecr. distinct. 4. & ex cap. Maiores. de Baptismo. (de quare Suarez tom. 3. dispus. 14. sect. 2. dicto 1.)* in adultis inualidus est baptisimus ex defectu intentionis illum suscipiendi. Quare erit & Penitentia sacramentum ex simili defectu; præsertim cum de se non requiratur tantum passionem suscipiendi vt baptisimus, sed etiam exigat actiones, per quas peccata sua retractet, & Ecclesiæ clauibus subiiciat propria voluntate: quam voluntatem dicimus intentionem suscipiendi Penitentia sacramentum: cuius impulsu illæ ipsæ actiones (contritio inquam, & confessio) exercentur. Non est autem necesse intentionem esse actualem: sed sufficere potest virtualis, quam præcesserit actualis non retractata, ratione cuius ipsa Sacramenti suscepcio censetur moraliter voluntaria: hinc iuxta *cap. Aggrotantes. De consecr. dist. 4. vt baptisimi, sic Sacramenti Penitentia capaces sunt, qui oppressi morbo, destituerunt usu rationis, quando ipsi testimonio amicorum habuerunt præcedentem voluntatem ea Sacramenta suscipiendi.*

Quod idem dicendum est de lapsis in phrenesim vel amētiam, ex *Sylu. in verbo Baptisimus. 4. quest. 14.* qui bene moner, quod si necessitas non vrgeret, sed speraretur reuocatio ad sanam mentem, differenda esset administratio Sacramenti; vt ipsum reciperetur cum actuali intentione.

### CAPVT SECVNDVM.

De examine conscientia vsui Sacramenti Penitentia præmittendo à Penitente.

#### SVM MARI VM.

- 5 Quid sit examen conscientia, & quæ illi præmittenda.
- 6 Ratio instituendi examen conscientia.
- 7 Examen conscientia debet cum diligentia fieri.
- 8 Non esse necessarium vt tanta fuerit ea diligentia, quin maior adhiberi poterit.
- 9 Quid requiratur, vt sufficiens adhibita esse censetur, dua sententia extrema.
- 10 Media cum Nauarro tenenda.
- 11 Ratio habenda est persona, & aliarum circumstantiarum, in determinanda sufficientia talis diligentia.
- 12 Eiusdem diligentia defectus suppleri potest per interrogaciones Confessarij.
- 13 Quando id procedat, etiam si confessurus existimet se non adhibuisse sufficientem.
- 14 Quid sit agendum cum eo, qui confitetur se non adhibuisse diligentiam sufficientem in examinanda conscientia.

Examen conscientia dicitur discussio actio num vitæ nostræ in particulari, facta earum comparatione cum diuinis præceptis; vt corrigamus ea quæ in illis mala esse deprehenderit. Ante quod (tanquam magni momenti opus) oportet seipsum colligere, & in illius initio, Deum considerare præsentem; ipsum que adorare cum magna reuerentia, gratias ei agendo de multiplicibus beneficiis ab eo acceptis; cum naturæ, qualia sunt creatio, conseruatio, gubernatio, & peculiaris prouidentia: tum gratia; cuiusmodi sunt Christi incarnatio, merita, actiones, labores, tormenta, & mors nostri causa: item vocatio ad Christianismum, Sacramentorum institutio in remedium languotis animæ nostræ; & præparatio æternæ gloriæ. Oportet item Dei implorare auxilium ad examen ipsum pro rei dignitate instituendum, ad ipsius gloriam, & animæ nostræ salutem.

Instituendum autem ratio esse potest: vt seruatō ordine temporum, locis in quibus versati sumus, & personis cum quibus conuersati sumus, ac negotiis quæ gessimus in memoriā reuocatis; expendamus quæ ab ultimo simili examine nostro, cogitata sunt à nobis, dicta, vel facta, aut omisa contra virtutes exercendas, siue erga Deum, vt contra fidem spem, charitatem, religionem; quibus Deo debitis cultus redditur. Siue erga nos ipsos, vt contra charitatem, quā nosmet moderatē, & propter Deum amamus; item contra temperantiam, qua frænamus illicitas cupiditates: & fortitudinem, qua timori & audaciæ imponimus modum; patientiam, qua in aduersis, & humilitatem, qua in prosperis rebus moderationē retinemus: mansuetudinem, qua reprimimus imperum iræ; & penitentiam, quā debemus dolere de peccatis ad eorum expiationem. Siue denique erga proximum, vt contra charitatem fraternam, per quam illum sicut nos ipsos amamus, zelum item animarum quo harum salutem ad Dei gloriam procuramus, benignitatem, qua æquo animo ferimus & condonamus acceptas iniurias; iustitiam, qua reddimus unicuique quod suum est; liberalitatem & misericordiam, qua subuenimus indigenti nostra ope, taciturnitatem, veritatem, affabilitatem, simplicitatem, prudentiam, & modestiam, quibus conuiuiamus aliis cum ea qua par est edificatione, circumspectione, moderatione, animique candore: pietatem denique, & obseruantiam, ac obedientiam, quibus reddimus parentibus, & Superioribus debitum honorem, reuerentiam, & obsequium.

Ex quibus diuersis virtutibus distinguuntur diuersorum peccatorum species, explicandæ in confessione, vicibus quibus contigerint additis, ea ratione qua suo loco in sequenti parte exponetur, cum de ipsa confessione ex instituto dicitur. Sed quia non omnes ita valent ingenio aut pollent doctrina, vt possint in particulari statuere quæ habere debeant pro commissis, vel omisis contra aliquam virtutem seu datum de ea præceptum, catalogus eorum que censentur eius generis esse, texti solet pro minus idoneis ad tale exercitium, vt habeant vnde discutiendo conscientiam cognoscant quæ ex cogitatis, dictis, vel factis illam de se ita grauent, vt tanquam peccata exprimi debeant in confessione. Eorum catalogus continetur longa serie interrogacionum in præced. libro secundo cap. 3. à sect. 4. propositarum, quas sicut Confessarij Penitenti, ita & hic sibi met intra se facere potest.

Quod igitur hic addendum restat de eodem examine, sicut ex traditis à Nauarro. *ad cap. Fratres. De Penitent. dist. 5. a num. 661.* sumpta documenta quædam de diligentia adhibenda in illo faciendō iuxta statutum Conc. Tridentini. *in sess. 14. cap. 5. & can. 7.* ac etiam iuxta rectoris rationis dictamen. Etenim ratio naturalis dicit, iustam curam, & neque maiorem neque minorem quam oportet, unicuique adhibendam negotio. Quapropter, cum Sacramentalis confessio perpetratorum peccatorum, negotium sit notabile, sit vt ea exigat, notabilem diligentiam in rememorandis illdem peccatis: nec censeri debet facta prout par est, cum non fuerit ei præmissum sufficientis conscientia examen: maximè cum huius defectum sequi solet in confessione defectus integritatis necessaria ad illius validitatem: quando quidem, loquendo moraliter, impossibile est (vt bene notat *Canus in relect. De Penitent. pars 6.*) confessionem integram fieri, nulla posita diligentia in examinanda conscientia.

Documenta de diligentia ponenda in faciendo examine conscientia.

Primum est, ut Pœnitens censeatur fecisse sufficientem conscientia examen, non requiri ut summam quam in ea re potuit, adhibuerit diligentiam, nec villo modo adhibere poterit maiorem: quia id nunquam invenitur præceptum à Deo, neque consentaneum est, & dicto Domini nostri *Matth. 23.* Iugum meum suave est, onus meum leve. JEt enim cum nemo tantam diligentiam ad id ipsum habeat, quin absolute maiorem adhuc adhibere possit, nunquam obtineretur conscientia quies: quod durissimum est.

Quid autem requiratur, Navarr. ipse bene explicat, tenens mediam quandam sententiam inter duas extremas: quarum prior, ut plurimum recepta (inquit idem auctor in cit. numero 66. pro ea citans Sotum & aliquot alios) est, illam in præfenti negotio diligentiam sufficientem esse, quæ talis est, qualem pro re ardua in memoriam reducenda, Pœnitens adhiberet: aut, prout à *Maiore expressus traditum idem Navarr. addit*, si homo confessus, talem præmisit diligentiam reuocandi sua peccata in memoriam, qualem adhiberet, si orationem aliquam esset coram virtus eruditus habiturus, aut de multa pecunia impensâ domino vigili & avaro rationem esset redditurus. Quam sententiam idem auctor *ibidem numero 47.* reicit: quia etiam si velimus, vix tamen possumus tantâ curâ peccata nostra recogitare: quam à orationem coram eruditus habendam parare: vel rationem dari & accepti Domino vigili & avaro reddere. Nam ad habendam in his diligentiam, suat naturalis propensio hominis ad honores, & diuitias, quia in eis pauidis appetitus irascens excutitur ad superandas omnes difficultates & molestias maiorum quibus parantur. Ad habendam verò in examine conscientia diligentiam, reuocat propensio ad delectationes, quâ appetitus concupiscens excitatur ad recogitationem peccatorum, tanquam malum quoddam auerendum, ut pote dantem tristitiam & doloris occasionem. Accedit quod Conc. Trident. ubi supra, dicens diligentem sui discussionem, non autem diligentissimam, merito censetur indicare mediocrem diligentiam in proposito examine: sufficere, & neque summam quam exemplum illa insinuant, requiri: præsertim cum si talis requireretur ad validam confessionem, pauci essent è vulgo, qui non tenerentur hæcenus factas confessiones tanquam inualidas iterare. Si quis obicit præparantem se ad confessionem discussione conscientia; comparari mulieri, quæ perditâ drachmâ, euenit domum, donec inueniat eam. *Luc. 15.* Respondendum est, cum *Cano in relect. de Pœnitent. parte sexta:* id qui sem esse, quod optimi faciunt: eâ hinc tradi, quid ad fructum Sacramenti Pœnitentia consequendum facere debeant, vel imbecilles.

Posterior sententia (pro qua Gersonem & Caier. Navarr. citat) est: modicam diligentiam adhibitam in discutenda conscientia ad hoc sufficere, ut non sit necesse confessionem iterari, nisi talem discussionem adeo crassam & supinam esse contingat, ut videri possit in ea tacite affectata esse truncatio ipsius confessionis, de cuius integritate parum curatum fuerit. Quæ sententia reicitur, ex eo quod puritati conscientia non debeat rationis deesse iudicium, ex cap. non solum. *De regularibus in 6.* atque rationis iudicium postulet, ut cum peccatorum omnium integra confessio sit res magni momenti, nec modicæ difficultatis; ad eam sicut par est perficiendam, requiratur discussio conscientia ita diligens, vel leuiter ac modicam superet: quandoquidem in re graui leuiter & in difficili, sine cura & sollicitudine ferere, alienum est à ratione.

Tenenda igitur est cum Navarr. sententia mediâ de qua fit, secundum documentum. Ad confessionis validitatem requiri diligentiam in examinanda conscientia mediocrem; ex qua scilicet Pœnitens iudicetur verè diligens fuisse; non verò quasi perfunctoriè talem discussionem peregerisse. Quod quidem iudicium relinquatur viro prudenti: ita ut oporteat istiusmodi diligentiam tantam esse, quanta (inquit Navarr. ad citatum cap. Fratres numero 75.) prudenti viro & humano more estimanti, videtur esse ut plurimum sufficientem hominibus Deum timentibus, ac mediocrem animæ suæ curam gerentibus, qui sint eiusdem conditionis; cuius est Pœni-

tens, qui in examinanda conscientia illam adhibet; dummodo is bona fide putet illam pro sua fragilitate mediocrem esse: ut potest putare, iuxta Francif. à Viêt. in *Summa De Sacram. numero 161.* cum taliter examinauit, ut etiam si amplius examinaret per aliquod tempus non recordaretur aliquorum aliorum peccatorum mortalium; non verò cum per paruam diligentiam vteriore veniet in cognitionem huiusmodi peccatorum, quorum nondum meminit. Idem docet *Canus in relect. De Pœnitent. parte 6.* illud clarius dicens. Quod si putem nullum aliud peccatum venturum mihi in mentem, nisi forte ingenti quadam discussione, & magno temporis inquisitione, me oportere non esse sollicitum, eo quod satis sit diligentia ista mediocri & humana.]

Tertium documentum est, in ferendo iudicio de sufficienti examine conscientia, habendam esse rationem conditionis personæ & cæterarum circumstantiarum, sicut habetur in omni alio iudicio, quo prudens de mediocritate in actu humano seruanda determinat, iuxta Aristotelis *libro 2. Ethic. cap. 6.* recepissimam sententiam. Hoc itaque modo (ex Navarr. *ibid. num. 71.*) iudicandum est, eum qui crebro confitetur non teneri tantam vice qualibet curam adhibere in discussione conscientia, quantum qui raro: neque eum qui paucis aut paruis implicatur negotiis, quantum qui multis & magnis: neque idiotam qui nescit perferuari, quantum qui doctus est, & nouit loca, & latebras ubi peccata inueniat. Cæterum ex *Cano in eadem parte consequenter:* si quis sufficientem diligentiam se fecisse credat, sed fallatur, à peccato mortali negligentia illius excusatur, si fit homo pius, habens mediocrè animæ suæ curam: non autem si impius, quem nulla animæ suæ cura tangit, & cui minima in hac re diligentia videri solet maxima, neque affectus est animo ea ratione, qua ille qui nulla de causa velit saluti suæ deesse.

Quartum documentum est, illud quod diligentia positæ in discutenda conscientia deest ne illa censeatur mediocri; posse per interrogationes Confessarij, suppleri sufficienter ad hoc ut satisfiat memorato præcepto Concilij Trident. *sess. 14. cap. 5. de diligentia conscientia discussione præmittenda Confessionis;* atque ut confessio ipsa ceteri possit integra & valida. Hoc Navarr. in sequen. numero 76. deducit ex eo quod Confessarij, qui suspicatur Pœnitentem sine iusta peccatorum præmeditatione ad confessionem accedere, debeat diligenter interrogare, prout præscribitur in capite 1. *De Pœnitentia distinct. 6. §. Diligens. & in cap. Omnis vtriusque sexus. De Pœnitent. & remiss. per illa verba,* Diligenter inquirens, & peccatoris, & peccati circumstantias. Quod si non faciat, credens Pœnitentem, nisi interrogetur, taciturnum aliquid necessariò confitendum, peccabit mortaliter, ut idem Navarr. ad eundem §. Diligens, confirmat per cap. Iudicantem cuncta rimati oportet, & ordinem rerum plena disquisitione inquirere] 30. *quæst. 5.* Cui addi potest quod Iudex ex officio suo debeat implere defectum, ne aliqui iudicium reddat nullum: argumento cap. *Causam 1. De iudiciis.* neque nos debeamus sanctum dare canibus, nec margaritas oïliis prolicere ante porcos] *Matth. 7.*

Quintum est, quod Navarr. ad idem cap. Fratres num. 80. & 81. vult ex præcedenti deduci. Aliquam Pœnitentis confessio diligentiam de se non sufficientem, posse sufficientem fieri adiuncto proposito & voluntate respondendi, obediendique Confessario, quem scit de more interrogatum, & putat vltimum esse in ea re industrium. Vnde fit ut vulgares homines, qui nesciunt peccata sua per propria eorum loca querere seti conscientiam suam discutere circa cogitationes, verba, & opera, & affectus varios, quibus in Deum vel proximum, vel seipsum peccatur transgressione præceptorum Dei, vel Ecclesie, existimandos esse diligentiam sufficientem habuisse in examinando se, si aliquantulum posuerint, adiuncto prædicto proposito respondendi Confessario, simul cum bona fide, qua putent se satis facere obligationi, quam habent confitendi præuia diligenti conscientia discussione ita vltima sit ratio eius qui bonam partem propositi integrè confitendi ponit in interrogationibus Confessarij: & alia eius qui proponit ad eodè industriè confiteri, ut Confessarium leuet onere interrogandi, aut qui putat se parum aut nihil à Confessario interrogandum.

14.

Sexum est, (de quo idem Nauarr. in seq. num. 83.) quando cõ-  
fiteus ait se non reduxisse in memoriam sua peccata: prout  
debebat, videndum esse num id dicat, quod credat se non  
adhibuisse in discutienda conscientia diligentiam, quam in-  
tegritas confessionis exigit, an verò quod ad instar S. Iob. cap.  
9. vereatur omnia opera sua ex timorata quadam conscien-  
tia, vt communiter vsu venit bonis mentibus, quantum est ibi  
culpas suas agnoscere, vbi non sunt. cap. Ad eius. distinct. 5.  
Arque si hac posteriore de causa dicat, aut quia non omnia  
venialia siue maiora siue minora (de quibus non tenetur  
confiteri) in mentem reduxit, ipsam posse sine scrupulo au-  
diri confitentem, & auditum (nisi aliud obstat) Sacramentaliter  
absolui. Sin autem priore de causa dicat, distinguendum esse:  
nam vel vrget necessitas, non permittens tales interro-  
gationes fieri: nempe vrget consilius belli, aut morbus grauis,  
aut naufragium, aut aliud simile periculum imminens mor-  
tis, siue naturalis, siue violentæ, aut etiam notabile scanda-  
lum, tuncque Pœnitens similiter & audiendus & absoluen-  
dus est, dummodo aliud non obstat. Vel nulla vrget necessi-  
tas, & tunc debet Confessorius videre, num suis interroga-  
tionibus eam, quam Pœnitens ipse qualemcumque adhi-  
bit diligentiam, reddere possit mediocrem; sique videat se  
posse, postquam id præstiterit, absolue: sicut in præcedenti-  
bus casibus. Quod si videat Pœnitentem confessurum, nol-  
le interrogari, vel etsi velit quidem, a deo tamen nihil præ-  
meditatum venire, vt etiam cum interrogationibus vnus &  
responsionibus alterius, non sit futura integra confessio, tunc  
neque audiet, neque absoluet: sed licet licet, humani-  
terque persuadebit, vt antequam consteatur, conscientiam  
pro sua capacitate discutiatur, quantum saltem sufficiat, vt per  
opportunas interrogationes iuari possit ad faciendam cõ-  
fessionem integram, & ad vitandum illum sufficientis dili-  
gentiæ in examinanda conscientia defectum, quo redditur  
inualida.

CAPVT TERTIVM.

De excitatione voluntatis ad vsu Sacramen-  
ti Pœnitentiæ.

SVM MARIVM.

- 15. Damna quorum consideratione voluntas excitari potest ad vsu  
Sacramenti Pœnitentiæ.
- 16. Commoda contraria, quorum consideratio ad idem valet.
- 17. Ratio qua talis excitatio fit.
- 18. Nouem vtilitates, quarum consideratione potest eadem voluntas  
promoueri.
- 19. Que possint ab vsu Sacramenti Pœnitentiæ voluntatem auertere,  
cum remedijs aduersus eadem.

**P**ost peccatum conscientia diligens examen, notatis pec-  
catis de quibus facienda est confessio, oportet illa abo-  
minando, & propositum de illis in posterum cauendis fir-  
mum concipiendo, recurrere ad diuinam misericordiam,  
& petere veniam, proque ea consequenda excitare volunta-  
tem ad vsu Sacramenti Pœnitentiæ, à Christo in eum fi-  
nem instituti. Ratio autem excitandi esse potest, seria  
consideratio ex vna parte grauissimorum damnorum, quæ  
peccatum mortale infert animæ; ex altera parte verò sum-  
morum commodorum quæ ex eiusdem peccati eliminatio-  
ne ab anima Sacramentum Pœnitentiæ adfert eidem, virtu-  
te sanguinis Christi.

15.

Peccatum enim mortale (vt cetera v. accam de quibus in lib. 2.  
cap. 3. sect. 5. & 6.) in primis animam mortaliter vulnerat, iuxta  
illud Iacobi. Peccatum cum consummatum fuerit generat  
mortem] eternam nimirum, non quidem naturalem, quæ nec  
querentibus eam & desiderantibus concedetur, iuxta illud  
Apoc. 9. In diebus illis quærent homines mortem, & non  
inuenient eam, & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis]  
sed mortem mortalem, consistentem in carentia omnis so-  
latij, & in abundantia omnis desolationis, Deo armante crea-  
turam ad vltionem inimicorum, ex Sapient. cap. 5. Deinde pec-  
catum tanquam ex putrescente vicere scaturiens sanies fœ-  
dissima, deturpat animam, ita vt abominabilis sit coram Deo,  
& Sanctis ipsius, iuxta illud Psalm. 52. Corrupti sunt, & abo-  
minabiles facti sunt in iniquitatibus.]

16.

Præterea vincit, constrictamque tenet animam in ma-

nibus Diaboli, iuxta illud Prouerb. 5. Iniquitates suæ capiunt  
impium, & famibus peccatorum suorum confringitur. Deni-  
que quod præ omnibus exhorrendum est, reddit eandem  
animam Deo exosam, iuxta illud Psalm. 5. Odisti omnes qui  
operantur iniquitatem] & illud Sap. en. 14. Similiter odio sunt  
Deo, impius, & impietas eius.]

Ex aduerso verò, Sacramentum Pœnitentiæ à Christo in-  
stitutum ad consequendam peccatorum remissionem quam  
nobis sacrosancti sanguinis sui effusione promeruit, primò  
(quasi infuso in animam vulnera pretiosissimo eiusdem sanguinis balsä-  
mo) sanietatem ei adfert, iuxta illud 1. Pet. 2. Qui peccata no-  
stra ipse pertulit super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ  
vivaamus, cuius liuore sanati estis. ] Secundo illius sordes  
omnes, quibus Deo, & Sanctis quasi nauisam parit,  
abtergit, iuxta illud 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi Filij eius,  
emundat nos ab omni peccato. ] Et illud Apoc. 1. Dilexit nos,  
& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. ] Tertio illam à  
captiuitate diaboli liberat, iuxta illud 1. Pet. 1. Scientes quod  
non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana  
vestra contumelatione paterna traditionis: sed pretioso san-  
guine quasi agni immaculati Christi, &c. ] Et illud Apoc. 5. Re-  
demisti nos in sanguine tuo. ] Denique recõciliat illam Deo,  
iuxta illud ad Rom. 5. Commendat autem charitatem suam  
Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus,  
Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur magis nunc  
iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.  
Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per  
mortem filij eius, multò magis reconciliati erimus in vita-  
pius.

Ex qua bipartita consideratione excitanda est voluntas:  
primò ad amorem tam benigni erga nos Domini, qui cum  
Angelis peccantibus non pepercerit, 2. Pet. 2. tantà vltus est  
erga nos peccatores misericordia. Deinde ad studium susci-  
piendi cum omni reuerentia, pietate, & diligentia tam di-  
gnum, tanque salutare Sacramentum, agnoscendo quod et-  
iam si Deus ad animarum nostrarum curationem vratur mi-  
nisterio Sacerdotis, in huius tamen scientia, vel prudẽcia, aut  
experientia non esse nitendum, sed potissimum in Dei auxi-  
lio: ideoque ipsum humiliter ab eo postulandum, & nihilo-  
minus curandum vt iis conditionibus instructus Sacerdos  
eligatur, quibus sit idoneus nõ tantum ad absolvendum, sed  
etiam ad dirigendum nos in via salutis: ad quod vtrumque  
Deus vtitur ministerio ipsius. Promoueri autem potest tale  
studium extensione considerationis ad speciales vtilitates  
tribus ante memoratis comprehensas, quales sunt propõsitæ  
à Tolero lib. 6. in struct. Sacerd. cap. 11.

Prima est augmentum gratiæ, cuius minimum gradum  
habere, eligibilis est, quam totum mundum possidere, pro-  
pter gloriam æternam in futura vita ei respondentem.

Secunda remissio peccatorum Purgatorij, quarum mini-  
mæ, nulla quantumvis fauissima huius vitæ pœna, æquari  
potest, sãtem ob æternæ gloriæ dilationem quam habet  
coniunctam, Id quod Suarez tomo 4. disput. 46. sect. 3. latè ex-  
plicat.

Tertia est debilitatio inimici per gratiæ augmentum, quo  
contra carnem, spiritus robustior efficitur: vt & per salu-  
taria Confessorij monita, quibus obuiatur Diaboli fraudi-  
bus.

Quarta emundatio animæ, qua peccatorum non sinitur  
in ea radices altiores agere, nec in habitum futuri vitij tran-  
sire.

Quinta merendi facultas, quæ non datur nisi repurgatã  
ab omni mortali peccato anima.

Sexta conscientie tranquillitas ex spe consecutæ veniæ  
per sacramentum à Christo institutum ad remissionem pec-  
catorum.

Septima minus periculum moriendi in malo statu; cum  
accedente ad confessionem sacerdotali absolutione, anima  
in bono statu constituitur, nisi obicem posuerit.

Octaua maior notitia suarum infirmitatum: eam enim  
parit discussio conscientie in examine, quod præmittendum  
esse, ante diximus.

Nonaleuam grauis fastidij quod sentitur, quando vr-  
genti necessitate faciendæ confessionis, vsus illius fuerit  
alicui insolitus: nam tunc eam non minus auersatur ac re-

formi-

formidat, quam æger potionem amarā, quam raro sumit.

Cæterum quæ ab usu Sacramenti Pœnitentiæ auertere posse videntur sunt. Primum, pudor peccatorum admissorum. Secundo, horror Pœnitentiæ. Tertio, metus alicuius infamiz incurrendæ. Quarto, difficultas restituendo quod iniuste retinetur. Quinto, desperatio alicuius peccati vitandi, vt lubricitatis, vel ad piscendæ virtutis contrariæ, vt castitatis. Postremo, difficultas & labor in faciendâ, vt par est, confessione.

Aduersus quorum primum epponere oportet confessionem fieri Deo cognoscenti omnia: Confessario verò, non nisi vt locum illius tenenti. Item multo magis venerandam esse confessionem, quæ in die iudicij in conspectu omnium hominum continget nobis, nisi peccata nostra per confessionem deleantur. Aduersus secundum, ponere oportet ob oculos cruciatum Christi, & Sanctorum Martyrũ, itemque gehennæ tormenta, & supplicia æterna. Aduersus tertium, æternam damnatorum ignominiam. Aduersus quartum, iacturam bonorum æternorum, & summam damnatorum miseriam. Aduersus quintum excitanda est confidentia in Christi gratia, quæ in ipso Sacramento confertur, & in præsidio Beatissimæ Virginis, Angeli custodis, & Sanctorum quos voluerimus adhibere patronos. Aduersus postremum inculcare oportet labores, curas, & molestias, quæ suscipiuntur: tum pro comparandis & conferendis rebus ad hanc vitam fluxam & caducam necessariis, cui vita æterna est multis nominibus anteponenda; tum etiam pro morbis propulandis: cum mors animæ, quam peccatum mortale adfert, multo plus timenda vitandaque sit, quam mors corporis proveniens ex morbis, Vnde monet Christus Dominus Luc. 12. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: time te eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.]

CAPVT QVARTVM.

De ratione qua Pœnitens debet ad usum Sacramenti Pœnitentiæ concurrere.

SVMMARIVM.

- 20 Contritio à Pœnitente pro suo rei munere exercenda cum dolore, pudore, & timore.
- 21 Vnde oriantur dolor & pudor.
- 22 Vnde timor.
- 23 De proposito non peccandi, quod iudem affectus coniunctum habere debent.
- 24 Varietas diuinorum beneficiorum, quorum consideratione cum Dei auxilio, ad tale propositum promouemur.
- 25 Decentiam consistendo seruanda à Pœnitente.
- 26 Ordo tenendus.
- 27 Ratio breuitatis sectandæ in consistendo.
- 28 Ratio sectandæ perspicuitatis.

Pœnitentem in foro Pœnitentiæ sustinere personam rei, accusatoris, & testis, ab initio monuimus. In eiusdem autem fori praxi, vsuue Sacramenti Pœnitentiæ, tanquam reus concurrere debet per contritionem de suis peccatis; tanquam accusator verò, & testis, per confessionem de eisdem.

De contritione exercenda cum dolore, pudore & timore, pro rei munere.

SECTIO PRIOR.

20. Circa contritionem autem curare debet, vt ea contineat tum dolorem, tum pudorem, tum etiam timorem: quorum primi exemplum habetur singulare in peccatrice lachrymis rigante pedes Domini. Luc. 7. Et in D. Petro flente amarè, Matth. 26. Secundi verò in publicano stante à longè, & nolente oculos ad cælum leuare, sed percutiendo pectus suam dicente, Domine propitiuss esto mihi peccatori. Luc. 18. Tertij denique in Niniuicis, qui audito propheta clamante & dicente; Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur, terrore mali impendentis concussi pœnitentiam egerunt, Ionæ 3. Quod exemplum considerandum no-

bis esse indicatur per illud Christi Matth. 12. Viri Niniuicæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.]

Porro dolor oriatur cogitando præterita; nempe quod Deum omnium creatorem & patrem optimum, conservatorem ac Dominum potentissimum, moderatorem ac Iudicem sapientissimum offenderim, omittendo quæ præcipit bonæ, committendo quæ prohibet mala; amittendo quæ contulit diuina dona. Videri possunt dicta lib. 2. cap. 5. Pudor verò oriatur attendendo præsentia; puta per peccatum nos longè esse à Deo, & salutem immo secundum præsentem iustitiam, destinatos esse inferno, qui Deo ipsi eramus coniuncti, & cælo destinati. Item animam, alias pretiosissimo Christi sanguinis Balsamo delibutam, pulchram ac decoratam, cælestique sponso gratissimam, sic deurtari vitorum fordidis, tanquam vlceribus foetidissimis, vt non tam Dei, quam Diabolus nec tam Angeli, quam bestia similitudinem referat, sponsoque iniusta sit & abominabilis: atque adeo delecta in eum miseria statum per peccatum mortale, vt ex regni cælestis hærede, facta sit Diaboli seuisissimi vile mancipium.

Timor denique oriatur præcogitando futura: nempe quod tendamus ad mortem ineuitabilem, incerti de illius hora. Denique quod huius vitæ exitum excipiat tremendum iudicium, in quo sicut nullum bonum opus irremuneratum, sic nullum malum impunitum relinquetur: dicente Apost. in posteriore ad Corinth. cap. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. In quo ite nullus iudicis meritissimè irati fallere sapientiam, se & eterne iustitiam, aut effagere vindictam potest. Omnia enim sunt nuda & aperta oculis eius. Ad Hebr. 4. Immutabilis est in suis decretis, nec apud ipsum excusatio locum habebit, nec tergiversatio admittetur iuxta illud quod habetur in Psalm. 49. Existimasti iniquè, quod ero tui similis: arguam te, & statuas contra faciem tuam. Neque appellatione aut alia quavis ratione vltionem iudicij euadere licebit: Vnde ibidem subiicitur. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Adde & in quo Dæmonibus, quorum suggestionibus vltro succubuisti, in d. & Angelo custode, cuius internas monitiones contempsisti, adeoque propria conscientia accusantibus: non erit qui tibi patrocinetur.

Sanctorum enim patrocinium quod in hac vita neglexisti non esse tibi in futura expectandum: parabola quæ habetur Matth. 22. satis indicat per illud, quod is qui ingressus nuptias sine veste nuptiali iuberet mitti in tenebras exteriores, nemine adstantium pro illo deprecante: sicut pro ficulnea infructuosa non dum excisa (Luc. 13.) cultor vineæ deprecatus est. Denique cogitando quod eidem iudicio proxime succedat supplicium peccato mortali debitum, omni pœnarum & molestiarum genere cumulatum (sicut & merces æterna cumulata est omni bonorum & solationum genere) Deo scilicet armane non solum Dæmoues infestissimos hominis hostes, sed alias etiam creaturas ad vltionem inimicorum, ex cap. 5. Sapien.

Cæterum tales actantes esse oportet istiusmodi affectus voluntatis, vt in ea generent tale actantum odium & detestationem peccati, quæ eius est offensa Dei super omnia amandi: vt firmum propositum simul concipiat, nusquam eidem peccato consentiendi: ne quidem si mors ipsa obeunda esset. Ad quod nobis necessarium quidem est supernaturali diuinæ gratiæ auxilium, promouemur tamen ad illud consideratione beneficiorum tam expectatorum pro futura vita, magnitudine & multitudine inestimabilium (iuxta illud quod ex Ista cap. 64. habet Apostolus in priori ad Corinth. cap. 2. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum) quam iam exhibitorum.

Quorum quædam, vt notat D. Bonauentura in libro qui inscribitur incendium amoris, spectant ad complementum naturæ: siue ex parte corporis, vt membrorum integritas, complexiois sanitas, sensuum & linguæ expeditus vsus: siue ex parte animæ, vt ingenij perspicacitas, iudicij rectitudo, & voluntatis propensio ad bonum. Quædam in adiumentum

gratiz, vt baptizatus, & hoc ipsum Sacramentum Penitentiæ: quibus deletur peccati macula, restituitur perditam innocentia, & confertur ei uina gratia: itemque Sacerdotale ministerium, quo dispensatur nobis salutaris Christi doctrina, per quam sedentes in tenebris, & in umbra mortis illuminamur ad dirigendos pedes in viam pacis *Luc. 1.* confertur etiam indulgentiæ, quibus relaxantur pœnæ peccatis nostris debitæ: ac demum administratur sacrosancta Eucharistia, quæ in vita spiritali sustentatur ac roboratur. Quædam denique in donum superabundantiæ: ad quod spectat, quod nobis à Deo datus sit, primo totus mundus; inferiora quidem ad obsequium; paria verò ad meritum: & superiora ad ad patrociniū, iuxta illud prioris *ad Corinth. cap. 3. sub finem.* Omnia vestra sunt, &c. Secundo proprius filius: in incarnatione quidem in fratrem & socium: in passione verò, in redemptiōnis nostræ pretium: & demum in altaris sacrificio, in cibum nostrum. Tertio Spiritus sanctus, qui animam nostram perfundens charitate, illam sic Deo charam facit, vt in filiam adoret, suoque filio desponsatam, regni cœlestis coherede efficiat: si tamen compatiatur, vt conglorificetur. De qua re Apostolus *ad Rom. 8.* Quicumque inquit, Spiritu Dei agitur, ij sunt filij Dei, &c. Si autem filij & heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatiatur, vt conglorificemur. *Possum in præcedenti l. b. 2. cap. 5. & 6. videri Latius tradita, quæ censentur ad contritionis exercitiū spectare.*

De confessione pro accusatoris & restis munere exercenda à Penitentem cum decencia, ordine, & breuitate coniuncta perspicuitati.

SECTIO POSTERIOR.

25. **D**icturi ex instituto plenius in sequenti parte de confessionis exercitio, conueni erimus in præsentiarum notare tria, quæ pro munere accusatoris, & testis conuenit Penitentem in ea seruare.

Primum est decencia; tum interna, tum externa. Illa oritur facile si consideremus, quid facturi sumus: coram quo, & quorum: nempe apparituri sumus coram Deo non ad eum laudandum, aut ad agendas ei gratias de beneficiis acceptis, aut aliquid bonum postulandum, vt communiter fit, in oratione: sed ad nos de peccatis, quibus indignè summam ipsius bonitatem offendimus, accusandos: tum coram ipsomet omnipotente Deo, tum etiam coram Beata Virgine Maria cæterisque sanctis omnibus, ac coram Confessario tanquam Dei vicario: hos simul orando vt intercessione sua nos adiuuent ad obtinendam misericordiam. Quod totum generalis formula confessionis facis indicat, quam dæcram: ali confessioni præmitentes, ostendimus nos id animi gerere, quod miles læsæ maiestatis reus, concepta spe de venia, coram rege, & regina, ac circumstantibus principibus crimen suum confiteretur, totus pudore suffusus, lachrymarum imbre genas rigans præ dolore, & se indignum tanti monarchæ conspectu confitens, ac rogans reginam, ac cæteros circumstantes regis amicos, vt suis precibus obtineant ei misericordiam. Ita est decencia quam nos docuerunt Publicanus. *Luc. 18.* qui à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum leuare; & Peccatrix *Luc. 7.* quæ stans retro secus pedes Domini lachrymis cœpit rigare, & D. Petrus *Luc. 22.* qui egressus foras fleuit amarè. Et denique Prodigus *Luc. 15.* Qui patri dixit, peccavi in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. ] Externa decencia verò ex interna prouenire debet, in eo que consistit, vt aperto capite, flexis genibus, iunctis manibus, oculis demissis, inclinato paululum capite maneamus. In voce denique & corporis habitu ac cæteris quæ facimus, eluceat simplicitas, reuerentia, atque deuotio.

26. Secundum est observatio ordinis; nempe vt signum crucis præcedat, peraturque benedictio illis verbis. Benedic Pater; deinde recite ut Confiteor vsque ad verba Mea culpa; & declaratis defectibus commissis in postrema confessiōne si quæ examinando conscientiam notauerimus, veniamus ad expositionem peccatorum quibus conscientiam habemus grauam. Ac postremo partem eiusdem Confiteor, antea omissam, subiiciamus cum intentione petendi absolutiōnem, & Penitentiam.

27. Tertiam est, breuitas cum perspicuitate in expositione

peccatorum. Pro breuitate autem, reuocanda sunt peccata ad certa capita, vt possunt hoc modo. Quæ in Deum commissa sunt cogitatione, verbo, vel opere, aut omissione contra tria prima præcepta, primò omnium dicantur. Quæ autem contra fidem, aut spem contigerunt, vel contra charitatem; aut per superbiam commissa sunt in Deum, reducantur ad primum præceptum. Commissa verò contra Ecclesię præcepta ad tertium præceptum; vbi dicantur etiam commissa per acediam seu pigritiam in Dei cultu, & per omissionem reuerentiæ erga res sacras. Quæ verò contra proximum committuntur, cum ad sex reliqua Decalogi præcepta pertineant, sic exponi possunt: vt cum iis quæ ad quartum pertinent, coniungi possit superbia in proximum, & omisso operum misericordiam: Et cum iis quæ spectant ad quintum, coniungi ita & iniuria. Cum iis autem quæ ad sextum: tum ea quæ contra nonum commissa sunt, tum etiam luxuria, & gula, aliæque intemperantiæ genera. Cum iis verò quæ ad septimum: tum auaritia & iniustitia, tum etiam peccata contra decimum perpetrata. Denique cum octauo tam mendacia, quam alia peccata verbo aut scripto commissa, nisi quod magna ex parte iam dicta esse poterint, tanquam commissa circa præcedentia præcepta. Quam breuitatem iuuare quoque poterit, si plura peccata eiuſdem generis vno verbo explicentur; verbi gratia dicendo: Ego decies furatus sum, & tanta est summa; nisi circumstantiæ aliquæ locorum, temporum, personarum, aut negotiorum interueniant, quæ aliquid eorum notabiliter aggrauent: tales enim explicari debent ad præfaciendam eam aggrauationem, quæ ignoratâ, non informatetur sufficienter Confessarius de statu animæ sui Penitentis.

Perspicuitatem verò adfert: si quod seruari debet non omittatur: quale est, vt in vnoquoque peccato confessionis consideretur ac declaretur, an simplici cogitatione, solaque voluntatis complacentiâ commissam sit peccatum, an proposito quoque voluntario prorum pendit in verba, vel opera prohibita: aut etiam perpetratione dicti, vel operis prohibiti. In peccato autem omissionis declaretur, an ex obliuione, aut ex aliqua iusta causa processerit talis omisso: an verò fuerit plene voluntaria. Denique in omnibus peccatis, vt ipsa explicentur non per ambages, sed ea perspicuitate verborum vt possit Confessarius intelligere quæ & qualia, quamque grauiâ ipsa sint expositis specie, & numero eorum, atque circumstantiis ea notabiliter aggrauantibus, quales non raro occurrunt paucorum affectuum, ex quibus aliquid dictum est, vel factum, vel omissum.

CAPVT QVINTVM.

De executione concepti à Penitente propositi vitam emendandi, per quam faciat fructus dignos penitentiæ.

SVM MARI VM.

- 29 Facere fructus dignos penitentiæ quid sit.
- 30 Quorum potissimum operum vsus tales fructus requirant.
- 31 Necessitas eiusdem vsus.
- 32 Quæ sit Dei voluntas quam nos facere oportet ad consequendam eternam salutem.
- 33 Res spectantes ad præsentem locum.
- 34 Documenta de iis que possunt Penitentem iuuare ad executionem concepti propositi emendandi vitam.
- 35 Aduertenda circa lectionem librorum piorum.
- 36 Obseruanda in examine conscientie.
- 37 Reliqua documenta.
- 38 De castigatione suscipienda.

28. **P**ost animam à peccati sordibus repurgatam beneficio Sacerdotalis absolutiōnis debet Penitentem cura esse, vt iuxta D. Ioan. Baptista monitum *Matth. 3.* si uictus faciat dignos penitentiæ ad fugiendum à ventura ira: ambulando scilicet dignè uocatione qua uocatus est: seu dignè illius uitæ conditione, cuius factus est particeps, cum per baptisimū susceptionem admittas in Ecclesiam (quæ est quasi castrorum acies ordinata. *Cant. sexto*) Christi militiæ adscriptus est, illiusque caractere indelebili ad hoc insignitus, vt sub vexillo ipsius staret in acie contra

Dæmonem: seruans mandata tum ipsiusmet Christi tanquam summi eiusdem militiae Imperatoris [iuxta illud *Matth. vlt. Docentes eos serui erunt omnia quaecumque mandauero vobis*] tum etiam Prælatorum Ecclesiasticorum, quos ipse Christus sub se eisdem militiae præfecit duces, cum auctoritate quam ostendunt verba ipsius *Luce. 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.*]

Talia autem quasi militaria mandata, sunt de Sacramentorum & bonorum operum vsu: qui magis ordinarius frequentiorque est Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, atque eorum bonorum operum; quæ (*vt pote pœnitentiæ, & per consequens pro peccatis satisfactoria*) solent à Confessione in satisfactionem Sacramentalem imponi, orationis inquam, ieiunij & elemosynæ: quæ tanquam cæterorum bonorum operum capita præcipua commendantur specialiter; vt ab Angelo *Tob. 12* sic p̄ssim à sanctis Patribus: quorum aliquot sententias collectas potest qui volet, videre apud Canisium in *Catechismo tit. de bonis operibus*. Eiusmodi verò ordinarij frequentisque vsus ratio est, quod is imprimis necessarius nobis sit ad bellum, quod in Ecclesia aduersus dæmonem gerimus. Cum enim noster ille hostis fortis, & ferox, in insidijs assiduus sit [iuxta illud *1. Petri 5. Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit querens quem deuoret*] plerumque fit, vt nos laqueis suis irretiat, & grauitate faciat: vnde nobis necessarius est vsus Sacramenti pœnitentiæ, institutus à Christo ad dissoluenda vincula quibus ab hoste terretimo superati, detinemur captiui; & ad sananda vulnera nobis inflicta. Item cum anima mole corporis grauata, facile debilitetur pugnando; eia hostis impetum ferendum, necessaria est virtutum restauratio, quam consequitur sacrosanctæ Eucharistiæ vsus. Denique cum Diabolus ipse in spirituali aduersum nos pugna, adiutorem habeat inordinatum amorem nostri tanquam internum proditorum, ei nos tradere satagentem per concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ (de quibus *1. Ioan. 2.*) id est, per desiderium nimium aut voluptatum carnis, aut diuitiarum terrenarum, aut honoris mundani: necessarius nobis est vsus ieiunij ad reprimendam carnis petulantiam; & vsus elemosynæ, ad refrenandam nimiam habendi cupiditatem; ac demum vsus orationis; ad reprimendam elationem animi.

De qua necessitate, quoad vsum Sacramenti pœnitentiæ patet per illud *Luce 13*. Si pœnitentiam non egeritis omnes peribitis [iuncta eiusdem Sacramenti institutione *Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*] Quæ ad Sacramentum verò Eucharistiæ, per illud *Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.*] Quoad tria demum reliqua, non obscure insinuat: partim per illud *Ecclesiasticus 8. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, facient te in gaudium inimicis tuis*] partim per illud quod Dominus *Matth. 6. fideles suos intruens de iis quibus acquiritur regni cælestis merces, illorum specialiter meminit: admonens sincere, & citra hypochrisim facienda esse. Ad hæc constat eiusmodi mercedem nulli dandam esse, nisi facientis Dei voluntatem: eodem Domino dicente *Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, intrabit in regnum cælorum.*]*

Quæ autem sit patris nostri cælestis voluntas, declaratur his verbis Michæ prophetæ in cap. sexto: Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.] Quæ ad nostrum propositum possumus hac ratione accommodare: Homo Christianus ad æternæ salutis consecutionem debet iudicium facere: idque tum in causa Dei, restituendo ei honorem ablatum per peccatum; ad quod ex Christi institutione requiritur vsus Sacramenti Pœnitentiæ: tum in causa proximi, relatiendo damnum ei illatum: quod fit per restitutionem prout iustitia requirit: tum demum in causa propria, edomando carnem spiritui rebellantem; vt illa huic reddatur

subiecta; quod fit per ieiunium. Misericordia præterea exercenda est, non quidem in Deum, qui omnino expers est miseræ: sed tum in nos qui expositi sumus miseræ non modò animæ (*qua obnoxia est variis culpis & pœnitentiis*) cui ex Christi munere subuenimus potissimum vsu sacrosanctæ Eucharistiæ, & indulgentiarum. Sed etiam corporis, ad quam subleuandam ita sumus propensi naturâ nostrâ, vt non de eo, sed de ieiunio ad talem propensionem frenandam præceptum dandum fuerit, tum etiam in proximum de quo *Iacobus 2. Iudicium sine misericordiâ ei qui non facit misericordiam.*] Quod quam verum sit patet ex sententia in extremo iudicio proferenda quæ habetur *Matth. cap. 5. Exercetur verò talis misericordia largitione elemosynæ. Denique ad sollicitudinem ambulandi cum Deo, maximè pertinet oratio, tantopere nobis commendata, tum sacrarum literarum auctoritate, tum Sanctorum exemplis.*

Ac cum hæc ita sint, & spectantia ad vsum Sacramenti pœnitentiæ sufficienter cognoscantur ex antedictis, & ex post dicendis in sequenti parte, in qua etiam de indulgentiarum vsu, & de restitutione tractatus, instituentur, vt de annexis satisfactioni Sacramentali: atque de vsu Eucharistiæ sacrosanctæ commodius agatur lib. 29. qui est de eadem Eucharistiâ. Cum inquam hæc ita sint, fit vt hoc loco occurrat consequenter dicendum tantum de oratione, ieiunio & elemosynâ, vt de iis in quibus Pœnitentem Deo reconciliatum oportet vocare ad satisfactionem pro peccatis, & meritum æternæ salutis.

Prius autem trademus aliquot familiaria documenta quibus Pœnitens paucis instruat de iis quibus iuuetur ad executionem concepti propositi emendationis vitæ.

*Documenta de iis, quibus iuuari potest Pœnitens ad executionem concepti propositi emendandis vitæ.*

Primum igitur est, vt ad firmam voluntatem resistendi omnibus peccatis cum Dei auxilio (quod non solet negari pœnitenti illud humiliter seruenteque in nomine Christi) adiungamus voluntatem; qua optemus proficere in omni virtute; non quidem eo quod id nobis gloriosum sit; sed quod sit gratissimum Deo; cuius voluntas est facienda ad consecutionem regni cælorum: & ideo caro subilienda est spiritui, id est, amor proprius amori Dei: quod fit mortificatione quâ sensus non sinitur temere vagari, inordinatæque cupiditates appetitus sensitiui teprimuntur; & proprium iudicium intellectus captiuatur in obsequium Christi; ac demum propria voluntas mutatur in communem, quærentem non quæ sita sunt, sed quæ Iesu Christi. Cuius mortificationis necessitatem satis indicant illa D. Pauli verba *ad Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis moriemini; si in spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis.*] De ea erudite copiose, & ad praxim accommodatè tractat P. Franciscus Arias speciali tractatu: ideo contenti erimus dictis in lib. 2. cap. 12. addere: quam illius exercitium commendatum nobis esse debeat (*præter necessitatem cuius meminimus*) ostendi per illud, quod Filius Dei ad hoc, inter cetera factus sit homo vt nos de eodem exercitio erudiret, iuxta illud *ad Tit. 9. Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè iuste, & pie viuamus in hoc sæculo, &c.*]

Secundum documentum est: vt eiusdem voluntatis renouatio, & auxilij peticio quotidie fiat in matutino & vespertino examine; maximè verò diebus festis cum audiat Missa, aut sumenda est Eucharistia sacrosancta.

Tertium, vt quotidie mane, maximè diebus festis, dimidia hora, aut saltem horæ quadrans impendatur deuotæ considerationi, siue mortis, iudicij & Inferni ad concipiendum Dei timorem qui auocet à malo; siue paradisi & aliorum diuinorum beneficiorum, ad fouendum charitatis ignem, quo accendimur ad operationem boni; siue demum alicuius puncti (*ad illuminationem intellectus dirigentis voluntatem ex charitate operantem*) ex vita seu doctrina Christi Domini nostri, siue meditando; siue legendo pium aliquem librum accommodatum ad captum nostrum: Quæ in re exquirendum est & sequendum rudioribus consilium & directio



peritorum in vita spiritali. Ac de ratione meditando, quæ hinc præscribenda viderentur commodius tradetur cum dicetur ex instituto de oratione, cuius una species est meditatio.

35. De ratione verò legendi librum pium hæc occurrunt notanda: primò valem lectionem debere proportionatam esse legenti: scilicet vt rudi in vita spiritali, quasi adhuc animali homini non percipienti sublimia Dei, minime tradantur tractatus subtilis, aut de sublimium mysteriorum arcanis: sed potius de exterioribus gestis Christi, quæ sint in exemplum humilitatis, prouocentque charitatis, & pietatis affectum. Secundò fieri debere recta intentione, nempe animo excitandi se ad deuotionem & proficiendi in spiritu, seu Dei amore: non autem studio satisfaciendi curiositati, seu desiderio sciendi & oblectandi se varietate, aut nouitate rerum, vel elegantia sermonis. Instituitur enim ad excipiendum semen plarum cogitationum, & sanctorum morum quibus decet imbutum esse hominem Christianum pro dignitate & debito sui status. Itemque ad inspiciendum quasi in speculo, maculas animæ propriæ, quibus per penitentiam eluendis incumbendum est. Ad hoc autem iuuabit conari, vt legentes sentiamus pium in nobis affectum, quem sensisse par est eiusmodi libri scriptorem. Tertio non esse cursum multa legenda, sed pauca potius ea pensulando: intermixtis (tunc præsertim cum senserimus nos pia aliqua affectione moueri) breuibz orationibus, mentis ad Deum eleuationibus, quibus non tam interrumpatur lectio, quam vt animus purior effectus, reddatur aptior ad illius intelligentiam, quæ sub cortice literæ multos mysteriosos sensus, sanctosque affectus continet, quibus caret intelligentia lectionis librorum profanorum; etiam si ea quoque requirat pensulationem. Et certè multa cursim legenti, id euenit quod hospiti, cuius domum si multi ac varij ingredientur, statim recedentes, ipso tantum obiter salutato; nempe vt post aliquod spatium temporis nullorum, aut certè valde paucorum recorderetur. Quarto quamuis bonum sit de variis libris spiritalibus periculum facere, quis nobis futurus sit commodior, vno tamen electo de Patris spiritalis consilio (quod à rudibus adhuc in vita spiritali inquiri debet, ne contingat ipsos decipi) cauere oportet inconstantiam, qua modo vnus accipitur, modo alius: sed potius lectio electi continetur à principio ad finem; nisi fortè nimium fastidium illius exigat assumi alium ad cuius lectionem maior adsit dispositio. Oportet quoque legere eo ordine quo conscriptus est; nec medium principio, nec finem medio præponere: cum supponendum sit autorem habuisse rationem ordinis, ad rem propositam docendam accommodatoris.

36. Quartum documentum est, vt examen conscientie bis quotidie fiat, nempe ante vel post prandiam & iterum antequam cubitum eamus: saltem istud posterius prætextu cuiuscumque occupationis nusquam omittatur ob summam illius necessitatem, ad intelligendum quantum in proposito emendationis concepto in vsurpatione Sacramenti penitentiae, profecerimus, aut contra defecerimus. Ratio autem illius instituendi est, vt primò agantur gratiæ Deo pro beneficiis acceptis *que multa & magnam præcedenti num. 24. recensimus*. Secundò, vt petatur ab eo lumen ad cognoscenda peccata, & robur spiritale ad ea viuanda. Tertio, vt secundum formam antea num. 27. propositam, excquiratur ab animo ratio omnium cogitationum, locutionum & operationum ab vltimo examine, siue commissarum siue omisarum contra hominis Christiani, aut proprii status debitum, vt de illis suo tempore fiat confessio. Quarto, vt petatur venia peccatorum admisorum, & pudeat nostræ ingratitude erga Deum, cultor nominibus obstricti sumus. Quintò, meliora in posterum proponantur & proposita seruentur.

37. Quintum documentum est: vt electo nobis tali Confessario, cuius prudentia (detectis ei defectibus nostris & perfectionibus omnibus) in vita spiritali dirigi possumus, confiteamur semel in hebdomada, aut minimum semel in mense: ac sacrosancam Eucharistiam sumamus, si Confessarius ipse probet.

Sextum est, vt frequenter vtamur breuibz orationibus,

quas vocant iaculatorias, siue mente tantum siue voce fiant, vt sic affuecamus Deum prouidere semper in conspectu nostro. *exemplo Davidis Psal. 15.* & ad eum semper confugere, siue læta siue tristitia contingant; ac totos ex ipsius voluntate pendere, vt decet patris optimi ac prouidentissimi filios, & domini potentissimi ac munificentissimi seruulos.

Septimum est, vt cum quid faciendum proponitur, illud nec aggrediamur ac suscipiamus, nec è contra renuamur aut omittamus, nisi Deo consulto, id est, potius Dei auxilio implorato & inquisitione facta, num diuina ipsius legi consentaneum sit an dissentaneum.

Octauum est, vt seduli simus in repellendis rærationibus, & repudiandis occasionebus peccandi, ac in dignoscendis prauis nostris habitibus & naturalibus inclinationibus; in capeendis item occasionebus virtutum exercendarum, & remouendis impedimentis earumdem acquirendarum: siue que in expendendis animi virtutibus ad opera consilij & perfectionis, ne quid supra eas suscipiamus: ac demum in causis & radicibus nostrarum imperfectionum inuestigandis, vt modos adinueniamus eas refecandi, & ad virtutes in animo inferendas & vita eliminanda ab ea.

Nonum est, vt aliquoties externam aliquam penitentiam seu castigationem sponte suscipiamus: præsertim cum relabimur in aliquos defectus ad quos sumus procliuiores. Talis vè castigatio potest esse, aut in victu, minuendo de consuetis alimentis; aut in somno stratiq; modo, durius scilicet cubando: aut demum infrigendo carni aliquem dolorem: cilicio, vei bere, vel alla asperitate. Qua tamen in re cum timeretur zelus indiscretus, vtendum est consilio Patris spiritalis.

Aduersus carnem autem ista refugientem oportet armare animam. Tum odio peccati: pro quo longè grauiores penæ iusto Dei iudicio debentur ac constituuntur. Tum amore Christi pro nobis passi, cui si compatimur, & conglorificabimur. *ad Rom. 8.* Tam demum vtilitate; cum tales afflictiones susceptæ ex charitate non tantum liberent à penæ purgatorij longè grauioribus, sed etiam cumulent præmiis, quibus nullo modo eæ equiparari possunt; dicente ibidem Apostolo: *Exitimo quod non sint condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Cuiusmodi consideratio valde vtilis est aduersus difficultatem relinquendi assueta suauia, & suscipiendi insueta, quæ homo adhuc animalis tanquam molesta exhorrescit. Eadem facit illud, quod mysticè significatur, cum Exod. 4. Moyses refugiens virgam versam in colubrum, iubetur apprehendere per caudam: nempe vt vita spiritalis quæ prima facie terret sua difficultate, considerato illius beato fine, amabilissima appareat, sicut verè est. Illum enim terrorem inanem esse, si adhibuerimus industrias humilitatis & patientiæ, satis intelligitur ex verbis Christi *Math. 11.* *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue.* In quibus verbis fundanda nobis est firma in ipsum spes: qua humiliter de nobis diffidentes confidamus per ipsius misericordiam implendum in nobis quod habetur *Isai. 40.* *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Id quod passim contingere ostendit experientia, quæ iis qui serio vitæ emendationi incumbunt, initio quidem obseruatio diuinorum præceptorum difficilis videtur & molesta: sed ipso vsu facilis & iucunda redditur, ad instar thoracis noui, quem tanquam paulò strictiorem qui initio sentit incommodum, postea ipso vsu experitur commodissimum. Atque hæc hætenus: iam accedamus ad dicendum de oratione, consequenter dicturi de ieiunio & elemosyna.

ALTERA LIBRI PARS:

In qua de oratione agitur, tanquam ea, cuius assiduus usus debet penitenti esse imprimis commendatus.



Rimò aliquid dicemus de nomine, natura, varietate, & effectibus orationis: deinde considerabimus tum præceptum diuinum de ea datum; tum conditiones quas requirit, ut id ipsum præceptum per eam impleatur: tum de- mum usum illius debitum.

CAPVT SEXTVM.

De nomine & natura orationis.

SVMMARIVM.

- 39. Nomen orationis accipitur tum generaliter, tum proprie.
- 40. Definitio orationis.
- 41. Orare proprium est solius rei intelligentiã præditæ.
- 42. Orare non conuenit Deo.
- 43. Conuenit Christo quatenus homo est.
- 44. Non conuenit damnatis.
- 45. Conuenit cæteris omnibus intelligentiã præditis.
- 39. **N**omen orationis interdum accipitur specialiter, & interdum generaliter. Sicut enim ieiunare is specialiter dicitur, qui ab escis abstinet; generaliter verò dicitur, is etiam qui à carnis illecebris, victorumque passionibus se continet: ita is orare specialiter dicitur, qui diuinam clemenciam inuocat, sed generaliter dicitur etiam, qui bonis operibus in obsequium sui conditoris se tradit, eo quod bona opera Deum ad misericordiam prouocant: sicut mala, iram, & furorẽ ipsius accedunt. Specialiter autem dicta oratio ex variis circumstantiis ipsius, variè descripta est à sanctis Patribus prout in Cod. de oratione quest. 1. refert, bene que declarat Medina.
- 40. Instituto verò nostro ad naturam illius aperiendam sufficere poterit definitio tradita à Nauar. in suo tractatu de oratione prelude sexto: quod sit petitio facta Deo aperiẽ vel tacitè. Petitionem autem esse, commune est orationi cum precibus, quæ sunt homini ad aliquid ab eo impetrandum: quarum quadruplicem ab ipsa oratione differentiam refert Nauar. in eod. tract. cap. 19. num. 57. Factam verò esse Deo, est ei proprium. Atque vt plenius dilucidiusque natura eiusdem intelligeretur additum est in definitione expresse vel tacite, per quod indicatur naturam orationis constare; non modò sit expresse, sed quoque sit tacite fieri. Vnde oratio proprie fuit, petitio illa tacita sanationis Lazari, quam Ioan. 11. torores ipsius à Christo petierunt dicentes. Ecce quem amas infirmatur. Id quod ex D. August. ad eum locum Nauarrius refert, in cit. prelude 6. num. 12. addit aliud exemplum de oratione que fit Sanctis. Eo ipso enim censetur tacite facta Deo, quod fiat Sanctis ipsis tanquam nostris in recessibus apud Deum, à quo speratur & impetratur quod petitur: ita ut Deus sit præcipuus quasi scopus, in quem oratio nostra dirigitur: Sancti verò sint velut medium, per quod ea dirigitur, vt bene succedat.
- 41. Pro pleniore adhuc eiusdem naturæ notitia, aduertere oportet orationem esse operationem tantum rei præditæ intelligentiã, vt patet ex D. Thoma doctrina 22. quest. 83. art. 1. atque requirere concursum mentis simul & voluntatis, quia non est nuda petitio, sed cum desiderio, quod est voluntatis actus, obtinendi petitum. Itaque bestie, sicut non sunt capaces rationis, ita nec sunt orationis; & ideo quod in Psal. 103. Catuli leonum dicuntur quærere à Deo escam sibi. Et in Psal. 146. Pulli cornuorum dicuntur ipsum inuocare, ac id genus alia: intelligi debent dicta per similitudinem: propterea quod animalia dum quadam vocis significatione suam restantur indigentiam, videntur in sito naturæ instinctu inuocare Deum, qui eorum prouidentiam & curam gerit: aperientque manum suam implet omne animal benedi-

ctione sicut & per similitudinem omnia dicuntur illi obedire, propterea quod in sito naturæ impetu mouentur ad fines quos illis ipse præscripsit, perinde ac si præcepto accepto illud implere studerent.

A inuicere oportet præterea, quod etsi Deus mentis & intelligentiæ capax sit, non esse tamen orationis; cum nec superiorem habeat, cui deferat: nec cuiusquam ope egeat, quæ imploret. Quod verò ad R. 8. Spiritus sanctus dicitur postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. ] sensus est, quod faciat vt postulemus; nimirum tribuendo postulandi vim, auxilium, & gratiam: sicut & eius quod Matth. 18. dicitur. Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: ] sensus non est, quod Spiritus sanctus per se verba proferat. Quam interpretationem ex D. August. & quibaldam D. Pauli antiquis inter prætibis habet Azor. in 1. par. Moral instit. lib. 9. cap. 29. quest. 6.

De Christo autem Domino nostro, cum non tantum sit verus Deus, sed etiam verus homo; certum est quod ei quatenus homo est conueniat orare, sicut & Patre minorẽ esse. Id enim aperte constat ex eo, quod ad Rom. 8. dicitur interpellare pro nobis. ] Et ad Heb. 9. introiisse in cœlũ vt appareat vultui Dei pro nobis. ] Adde illud i Ioan. 2. Si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christũ iustum. ]

Si quæras an omni rationali creaturæ conueniat orare posse. Respondetur non conuenire propriè damnatis, quia orare est actus de se bonus proficiscens ex virtute religionis, & ideo ex bono pioque erga Deum affectu, quem damnati habere non possunt; qui Deum ipsum odio summo incesanter prosequuntur. Vnde quod demones rogarunt Christum vt mitteret eos in regem porcorum, Math. 8. & Epulo sepultus in inferno precatur, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, &c. ] Luc. 16. petitiones quidem fuerunt, non tamen orationes: vt nec ea quæ ex Tob. cap. 8. 2. Sa. han postulauit facultatem vexandi sanctum ipsum hominem Iob.

Cæteris autem omnibus præditis intelligentiã conuenit orare siue Angelis, siue hominibus: & his siue iam vitæ sanctis non modo beatis, sed etiam detentis in Purgatorio (de qua re videri possunt Azor. in eod. cap. 29. in fine & in præced. cap. 10. quest. 12. & Gregor. à Valen. 22. disput. 6. quest. 2. puncto 6. sub finem) siue adhuc viuentibus, non modò iustis; sed etiam peccatoribus, vt patet ex Publicano Luc. 18. & allis: vt ex Dauide 2. Regum cap. 12. & in nouo Testamento ex D. Petro, Magdalena, Zachæo, & Latrone crucifixo.

CAPVT SEPTIMVM.

De varietate orationis.

SVMMARIVM.

- 46. Diuisio orationis in mentalem & vocalem.
- 47. Diuisio mentalis in meditationem & contemplationem.
- 48. Diuisio vocalis in communem & priuatam: quam melius est fieri verbis ab Ecclesia institutis, quam à nobis pro arbitrio compositis.
- 49. Oratio quedam bona & quedam mala, aut ex obiecto aut circumstantia.
- 50. Diuisio orationis bona in viuam & mortuam.
- 51. Diuisio orationis, in obsecrationem, orationem peculiarem, scilicet illam, postulationem, & gratiarum actionem.
- 46. **D**vplex est præcipua varietas orationis: prior quod quedam sit vocalis, & quedam mentalis; posterior quod quedam sit bona, & quedam mala. Mentalis est quæ fit interno tantum actu animi, qualis fuit Annæ oratio ad Deum pro suscipienda prole 1. Reg. 1. vocalis verò quæ fit interiore animi actu, vt simul verbis externis exprimitur: non item quæ fit tantum verbis sine interiori mentis & voluntatis pia eleuatione ad Deum; reprobata per illud ex Isai. cap. 29. vsurpatum & à Christo Domino Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. ]
- 47. Vtraque autem rursus distinguitur; mentalis quidem, in meditationem & contemplationem: quarum illa consistit in consideratione mediõr vitæ spiritalis, id est, eorum ex quorum notitia dirigimur in salutis æternæ viã, quæ tenetur declinando à malo, & faciendo bonum. Eius gene-

ris sunt considerationes de peccatis, de virtutibus & vitis, de quatuor nouissimis; morte, iudicio extremo, inferno, & paradiso; de vita, morte, & passione Christi, & de aliis Dei beneficiis. Contemplatio verò consistit in consideratione finis vitæ spiritualis, puræ Dei, & diuinorum attributorum ipsius vt in se sunt, Ideoque raro in eadem dicitur discursus, seu inquisitio, sed simplex & humilis per fidem intuitus, cum in meditatione perquam discursus amittitur, de cuius vsu præclara institutio habetur edita à P. Francisco Aria, quam inscripsit De mentali oratione.

48. Vocalis verò quædam est communis, & quædam priuata Communis dicitur, quæ fit ab Ecclesiæ ministro (qua appellacione venire, tum Religiosum, tum secularem Clericum notat Nauarr. in tractatu de oratione cap. 20. num. 40.) nomine totius populi: eo scilicet modo quo exprimitur cum dicitur in libro de Ecclesiasticis demandata sibi legatione funguntur apud diuinam clementiam; humani generis agunt causam & corâ secum Ecclesiâ congemiscunt, & precantur. Priuata oratio verò dicitur, quæ fit ab vnoquoque priuim pro se vel per alio. De hac intelligitur illud prioris ad Timoth. 2. capite. Volo vitos orare in omni loco, & quantes puras manus suas: ita & discepratione. ] fieri que potest dupliciter: vno modo, verbis quæ quisque sibi arbitrio suo composuerit pro suo pio affectu. Prior autem longè melior est, ac anteferenda multis nominibus: maxime autem, quod cum vis orationis consistat potissimum in hoc, vt nobis diuinum fauorem conciliemus formulæ orandi ad id accommodatiores sunt illæ quas Spiritus ipse diuinus dictauerit: quando quidem (vt inquit Apostolus ad Rom. 8.) Qui orems sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. ] In illis enim orationibus & imprimis in oratione Dominica. Deas suas agnoscit voces, & quasi proprium suum, aut familiare idioma; rebus, personis, loco, & tempori, qua ratione decet ita accommodatum, vt illud ei placeat, & ad insinuandos nos in ipsius gratiam maxime valeat. Vnde meriò Apostoli Christum Dominum rogant Luc. 11. Domine doces nos orare, sicut Ioannes docuit discipulos suos. ]

49. Item bona oratio est, quæ fit seruatis omnibus conditionibus debitis, de quibus in sequentibus: mala vero cui aliqua ex debitis conditionibus deest: iuxta illud ex D. Dionysio communiter receptum ab omnibus (teste Nauarro, in præced. cap. 6. num. 2.) Bonum est ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Duplex autem est mala oratio: vna quæ dicitur mala ex obiecto malo: nempe qua petitur aliquid malum: vt vindicta priuata de inimico, aut aliud id genus moraliter malum. Altera dicitur mala ex circumstantiis: qualis est qua est petatur bonum, non petitur tamen id quod, propter, à quo, vbi, quando quomodo, aut pro quo debet: de qua in eodem cap. 6. multa Nauarr.

50. Bona quoque oratio distinguitur rursus, quod quædam sit mortua: cuiusmodi est oratio existentis in peccato mortali; nam in eo quoque statu potest homo multa bona, & Deo grata, quamuis meritoria non sint, facere operari; orare, aut opus aliud faciat peccando actu, vel proponendo peccare, seu Deum offendere: qua ratione damnatur in sacra Scriptura oratio peccatoris, prout bene tractatum videri potest apud Med. in Cod. de oratione, quest. 12. Neque ipsa potest: siue de iustitia, siue etiam de liberalitate, sed nocet potius, vt pote quæ penam meretur, prout bene docet Nauarr. in prius cit. cap. 20. num. 35. & 36. eaque de causa dicitur mortifera. Quædam verò sit viuua; cuiusmodi est oratio iusti seu existentis in Dei gratia: de qua Psal. 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. ] Vbi aduerte non esse idem, quod oratio sit viuua, & quod sit efficax (etiam si illa maxime oratio efficax sit, qua viuua est) quod oratio mortua potest esse efficax, seu qua impetretur quod petitur prout patebit per dicenda in seq. num. 59 & 68. Aduerte quoque ex Nauarr. in ead. num. 36. quod: nisi aliquis peccet (sive mortaliter sive venialiter) dicendo aliquam partem Missæ aut vnus horæ canonicæ, non ideo tamen recitationem totius, peccatū esse ac nullius meriti sed solum talis partis ma-

lam recitationem: ideoque euitandum esse, vt cum primum ad tala peccatum aduertimus, recitando aliquam partem, corrigamus nos statim ac emendemus.

De diuisione orationis sumptæ ex prioribus ad Timoth. cap. 2. in obsecrationem, orationem peculiariter sic dictam, postulationem, & gratiarum actionem, videri potest Bellarm. in Conrouer. de bonis operibus lib. 1. cap. 2. illius explicationem latè persequens. Nobis potest sufficere quod habetur ex D. Thom. in cit. quest. 83. art. 17. eam diuisionem sic posse accipi: vt obsecratio sit, quæ petitur à Deo quidpiam, proposita ratione aliqua, ducta ex quapiam re sacra ob quam sit impetrandum id ipsum quod petitur, vt ex diuina bonitate, aut ex passione Christi. Oratio verò sit actus ipse orandi, vt ad iunctum habet: quemdam mentis ascensum ad Deum. Postulatio autem sit idem actus, prout est petitio huius, vel illius beneficij pro futura aut pro præsentia vita. Gratiarum denique actio sit quatenus eidem petitioni premitimus aut subiungimus Dei laudem in signum gratiæ erga eum animi. Hæc D. Thomas explicat per orationem de sancta Trinitate. Nam vt in ea dicitur, Omnipotens sempiternus Deus, oratio est; vt verò additur: Qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, gratiarum actio est; vt autem adiungitur: Tibi que quæsumus vt eiisdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis, postulatio est: vt deum ponitur. Per Dominum nostrum, & obsecratio est.

## CAPVT OCTAVVM.

De effectibus seu fructibus orationis.

## SUMMARIVM.

52. Orationis quadruplex effectus præcipuus: meritum, satisfactio, impetratio, & spiritalis refectio animæ.
53. Oratio vt meritoria sit, & satisfactoria debet profecta esse à charitate.
54. Id ipsum necessarium non est, nec etiam semper sufficiens, vt sit impetratoria.
55. Condiciones requisitæ in oratione, vt sum impetrandi effectum cordi sortiarur.
56. Fides requisita.
57. Spes item.
58. Item que charitas.
59. Modi quibus contingit peccatores impetrare quod petunt in oratione.
60. Quæ peccata impetrationi orationis obstat specialiter, ex sacris literis habeatur.
61. Humilitas item, deuotioque requisita.
62. De perseverantia requisita.
63. De conditione, vt pro nobis petamus.
64. De conditione vt petamus necessaria vel vitia.
65. De fructibus orationis iusti, facta pro vitæ functionibus.
66. De fructibus facta pro vitis.
67. Infructuosa est facta pro damnatis.
68. De fructibus orationis facta à peccatore pro aliis.

**F**ructus seu fructuosos effectus orationis innumerabiles esse, satis indicant illa verba Domini Ioan. 14. Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam. ] Et Ioan. 15. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. ]

Quatuor autem numerantur primarij; meritum, satisfactio, impetratio, & spiritalis refectio animæ; quos orans consequitur; quia oratio quatenus actus bonus, meritoria esse potest; quatenus verò pœnalis, satisfactoria pœnæ pro peccatis debet; & quatenus petitio quædam, impetratoria esse: facta autem cum debita attentione, potest animam spiritali gaudio, & consolatione ex consortio Dei reficere.

Atque ad meritum & satisfactionem, in bona oratione (sicut & in ceteris actibus bonis meritoris, & satisfactoris) requiritur vt profecta sit ex charitate, vt vocant, viæ seu hominis adhuc in hac vita constituti. Quæ conditio (de qua in prioribus ad Corinth. cap. 13.) necessaria est ad quodcumque bonum opus vt nobis prodest in ordine ad æternam salutem, à Christo promissam bene agentibus, prout omnium sententiam esse notat Nauarr. de oratione cap. 20. num. 33. conclus. 2. Quod idem dicens initio præcedentis cap. 8. addit

num. 3. & 4. id ipsum esse quoque sentiendum de oratione, quæ quantumvis facta sit ab existente in gratia aliquo respectu tamen peccatum est saltem veniale: non obstante quod aliis omnibus respectibus sit optima. Nullum enim peccatum est Deo gratum & acceptum iuxta illud *Psalm. 65.* Non Deus volens iniqui arem tu es] & illud *Psalm. 65.* Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

54. Ad imperationem verò, nec absolute necessaria est charitas; cum *Lucæ 18.* Publicanus qui erat peccator, & ideo ex-  
tra charitatem, indulgentiam impetrauerit orans, Deus propiti-  
us esto mihi peccatori. Nec item semper est sufficiens: ut  
patet ex eo quod *D. Paulus, ex post. ad Corinth. cap. 12.* roga-  
uerit sibi auferri carnis stimulum, nec tamen impetrauerit,  
quantumvis maximè seruens esset charitate, iuxta illud *ad*  
*Rom. 8.* Quis nos separabit à charitate Christi &c.] Quod de-  
claratum Augustini verbis habes apud Azorium 1. part. *Mo-*  
*ral. in lib. 9. cap. 6. quæst. 34.* Sed dices scripturam sacram videi  
absolute iustus orantibus promittere imperationem eorum  
quæ postulauerint: ut cum *Ioannis 15.* dicitur: Si manseritis  
in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque vo-  
lueritis petetis, & fiet vobis.] Respondetur, promittere bene-  
petentibus, ut satis indicauit *D. Iacobus* cum in *cap. 4. sua*  
*epistole* dixit: Petitis & non accipitis eo quod male petatis.] Bene-  
petere autem censentur qui conditiones seruâr, quas Dei  
voluntate talis promissio includit, ut suam impetrandi effe-  
ctum certò & infallibiliter fortiiri debeat: quam in quidem vo-  
luntatem factæ literæ declarant, cum tales conditiones re-  
quirunt ad impetrandum quod petitur in oratione

55. Sunt autem ex *D. Tho. 22. quæst. 83. art. 15. ad 2. ut qui orat*  
postulet. 1. piè 2. perseveranter 3. pro se. 4. necessaria ad salu-  
tem. Qui idem indicat in corpore eiusdem *art. ad piè* petendum  
requirit fidem, spem, charitatem, humilitatem, & deuotionem.  
De quibus omnibus plenius *Bellarmin.* in *controversia de*  
*bonis operibus, lib. 1. cap. 9.* Quæ ad nostrum institutum sufficiant  
attingemus paucis.

Requisita ad orationem, ut effectum suum impetrandi  
certò sortiatur.

#### SECTIO PRIOR.

56. Primò igitur requiritur fides patet per illud *ad Rom. 10.*  
Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt:] &  
illud *Iacobini.* Postulet in fide nihil hæsitans.] Itemque illud  
Domini *Matth. 21. & Marci 11.* Si habueritis fidem, & hæsitau-  
eritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si huic monti  
dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet & omnia quæcumque  
petieritis in oratione credentes accipietis.] Quæ fides, ut  
bene idem *Bellarmin.* declarat, non est ut credamus Deum abso-  
lutè facturum quod petimus, sed solum ut certò credamus  
Deum esse potentissimum, sapientissimum, benignissimum  
ac fidelissimum: de quoque & posse & scire ac etiam velle face-  
re quod petimus, si non sit ex nostra parte defectus in oratio-  
ne de quo quia certi esse non possumus: nec consequenter scire  
certò possumus, an quod à Deo petimus consecuturi simus,  
Vnde sumitur ratio illius quod habet. *Navar. in tract. de oratio-*  
*ne cap. 19. num. 160.* remerari atque adeo supersticiosum ef-  
se, sibi certò persuadere, quod quis dicendo orationem Do-  
minicâ & Salutationem Angelicam tali die, aut tali loco, aut  
tali modo, fortunatus erit in contrahendo matrimonio, aut  
prosperum habebit successum in suscepro negotio, aut non  
morieur fabiò, aut eiusmodi al. quod opat, nec essariò  
consequetur, Si autem id dicitur de omnium prestantissimis  
orationibus, quid quæso dicendum erit de cæteris quæ longè  
minus, & interdum nihil habent authoritatis?

57. Secundò requiritur spem seu fiduciam, qua diuinæ benigni-  
tati firmiter innixi, certò confidamus Deum facturum esse  
quod petimus iuxta illud *Psalm. 90.* Quoniam in me sperauit li-  
berabo eum: clamauit ad me, & ego exaudiam eum.] & illud  
in *priori ad Timoth. cap. 5.* Quæ autem verè vidua est & desolata  
speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus  
nocte & die.] Itemque illud *ad Hebr. 4.* Adæmus ergo cum  
fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur,  
& gratiam inueniamus in auxilio opportuno.] Accedit quod  
scriptura sacra ad impetrandum, in oratione requirit talem  
fidem, ex qua istiusmodi fiducia nascetur: ut patet ex verbis  
Domini *Matth. cap. 21. & Marci 11.* antecitatis. Hinc (ut *Bel-*

larminus annotat ex *Cassiano*) certum impetrationis signum  
est, quod quis in oratione senserit magnam impetrandi fidu-  
ciam: Deo scilicet in corde orantis; quandam lætitiæ suauitatem  
infundente.

58. Tertio requiritur charitatem quæ bene affecti ad Deum, ob-  
sequamur mandatis ipsius, & vitemus offensas eiusdem,  
constat per illud *Ioan. 15.* Si manseritis in me, & verba mea in  
vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet  
vobis:] & per illud eiusdem *Ioan. in 1. sua Canonica cap. 3.* Cha-  
rissimi si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habem-  
us ad Deum: & quidquid petierimus accipiemus ab eo:  
quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita  
coram eo facimus.] Adde & per illud in *Psalm. 65.* Iniquitatem  
si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.] Iniqui enim  
tanquam habentes manus plenas Christi sanguine (ut  
pote sibi metipsis illum rursus crucifigentes ex *cap. 6. ad Hebr. versu 6.* non  
exaudimur ab æterno patre: ipso dicente apud *Isaiam cap. 1.*  
Cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, natus e-  
nim vestræ plene sanguine sunt. Quæ locum *D. Basilii*  
præclara similitudine illustrat. Iniquus, velut si quispiam  
filium vnicè dilectum neci tradiderit, isque manus sanguine  
cruentatas supplex preces porrigat ad patrem: an non re-  
sponderemus, filij sanguinem in manibus filicidæ, acrius  
exacerbare patrem tali iniuria affectum.

59. Quod si peccatores quædam à Deo impetrent, id non est  
tribuendum virtuti Orationis ipsorum, sed vel virtuti fidei  
in Christum: sicut & perpetratio miraculorum, de qua Do-  
mino, dictari sunt re] *Rebi ex D. Matth. cap. 7.* Nonne in no-  
mine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes  
multas fecimus:] aut certè iuxta Dei: ut quod *Isaia* in de-  
serto impetratur carnes, ex *cap. 11. Numeror.* de quo in *Psalm.*  
*77.* Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & in Dea  
scendit super eos.] Aut demum extraordinariæ cuidam  
benignitati, quæ Deus vult peccatorem beneficijs afficere,  
ut ipsum alliciat ad authorem suum. Adde quod etiam pec-  
catores, cum respiciunt, vitamque emendare firmiter  
stannunt, plerumque ex Dei misericordia: qua dignatur etiam  
indignis subuenire in necessarijs: exaudiantur pro seipsis orantes  
(alioqui enim frustra hortaretur *Sapiens Ecclesiastici cap.*  
*21.* Fili, peccasti non adicias iterum: sed & de pristinis  
deprecare, ut tibi dimittantur) non exaudiri tamen infal-  
libiliter: ut *Bellarmin.* colligit ex particulis *fortè & Quis*  
*scit:* quibus Scriptura vituit *Ionæ. 1. veru. 6. & Iobis 2.*  
*ver. 14.*

60. Peccata autem specialiter obstantia, quominus in oratio-  
ne postulara impetremus, hæc in sacris literis expressa ha-  
bentur. Primo homicidium; iuxta ante citata *Isaia* verba,  
Secundò iurgium & rixa; iuxta illud *priori ad Timoth. 2.* Volo  
viros orare in omni loco leuantes pure manus, sine ira, &  
disceptatione.] Tertio implacabilitas, iuxta illud quod *Matth.*  
*6.* Dominus orate docuit: Dimitte nobis debita nostra, si-  
cut & nos dimittimus debitoribus nostris.] Quarto diti-  
tias & inhumanitas erga egentes; iuxta illud *Prouer. 21.* Qui  
obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit  
& non exaudietur. Quintò superbia iuxta illud *Psalm. 101.* Re-  
spexit in Orationem humilium & non spreuit preces eorum.]  
in *60. ex 1. Petr. 5.* Deus superbis resistit, humilibus au-  
tem dat gratiam.] Postremo contemptus diuinorum: iuxta  
illud *Prouer. 28.* Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio  
eius erit execrabilis.

61. Quartò, requiritur humilitatem, quæ is qui orat non in sua  
iusticia, sed in Dei benignitate nitatur, ostendit *Dominus*  
*Luc. 18.* per parabolam Publicani, & Pharisei: eam dirigens  
ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti & asper-  
nabantur cæteros. Patet quoque per illud *Danielis nono.*  
Neque enim in iustificationibus nostris posternimus preces  
nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis mul-  
tis.]

Accedit quod qui ad misericordiam flectere vult, debeat  
se, ut solem mendaci, pro miserogere, quod est humilitatis;  
de qua habetur antecitatum ex *Psalm. 101.* Scilicet illud *Ecclesiastici 35.*  
Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec propin-  
quet non consolabitur: & non discedet donec altissimus a-  
spiciat.] Humilitatis autem sociam oportet esse admissorum  
scelerum recognitionem, & deestationem cum aliquo

doloris sensu, iuxta illud *Psal. 50.* Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet, & illud *Danielis 3.* In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, &c. Id quod satis patet ex peccatricis exemplo, stantis retro secus pedes Domini & lachrymis illos rigantis.

Quintò requirit devotionem, id est, studium attentè diligenter, & cum fervore orandi, constat per illud *Isai. 29.* citatum à Domino nostro *Matth. 15.* Populus hic labiis me honorat. Cor autem eorum longè est à me ] & per illud *Jerem. 48.* Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter. ] Atque hæc hæcenus de prima conditione, quæ est petendi, necessaria ad infallibiliter impetrandum.

62. De secunda, quæ est perseveranter petendi, habetur doctrina Domini. *Luc. 11.* per parabolam quam proponit de eo, qui ob importunitatem petendi perseveranter, obtinuit ab amico panes quos habuit necessarios : & cum in sequentibus cap. 13. ait, Oportet semper orare, & nunquam deficere. ] Nam continuò adiciens parabolam de vidua quæ per perseverantiam in petendo, extorsit à Iudice iniquam sententiam & iudicium, significat illis verbis, se à nobis eam perseverantiam in orando requirere, quæ reddamur idonei ad accipiendum quod petimus : confitentem, non quidem in eo vt ab oratione nunquam cessemus ( quod est nobis impossibile in hac vita ) sed vt nullas orandi occasiones siue noctu siue interdiu oblatas negligamus. Quem sensum Belatminus præfert aliis, qui ( vt ipse meminit ) dantur tum eorumdem verborum, tum similibus in sequenti cap. 21. Vigilate omni tempore orantes ] & *Ecclesiasticus cap. 18.* Nec impediatis orare semper ] & 1. ad *Thim. cap. vlt.* Sine intermissione orate. ]

63. De tertia conditione scilicet vt petamus pro nobis, non pro aliis, D. August. tract. 102. in Ioannem ad eam astruendam inducit illud *Ioan. 16.* Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Exaudiuntur, inquit, omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis; quia non vtrumque dictum est dabit, sed dabit vobis. ] Induci quoque potest ratio: quod scilicet, orationi prout ipsa ex Dei promissione est infallibiliter efficax, repugnet indispotio, quam orans nequit assiduitate orandi tollere in alio, sicut in seipso. Aduerte verò, quod si talis conditio de oratione absolute intelligatur, ea minime deducatur ex verbis illis à D. August. allatis: quandoquidem ei repugnaret alioqui illud *Iacobi 5.* Orate pro inuicem vt saluemini. Itaque illud, dabit vobis, interpretatione extendi potest ad id quod datur aliis intuitu nostri: sicut enasi naufragium precibus D. Pauli, *Act. 27.* dicuntur eidem dati à Deo.

64. De postrema conditione, vt scilicet petamus necessaria, vel vtilia ad æternam salutem, habetur illud 1. *Ioan. 5.* Hæc est fiducia quam habemus ad eum; quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. ] Quid autem secundum voluntatem eius petendum sit, satis indicatur per illud *Matth. 6.* Primum querite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis: ] & plenius per formulam orandi, quam in eodem cap. tradidit Dominus, quamque orationem Dominicam vocamus: de qua dicemus in sequentibus quantum sufficit ad presens institutum. Accedit ratio, quod vt à patre cælesti aliquid impetremus, illud petendum sit in nomine Filij sui Salvatoris nostri, qui nobis illud meruit. Quia igitur ea quæ Saluator noster nobis meruit sunt quæ ad æternam salutem nostram conducunt, talia sunt in oratione petenda, non autem contraria. Nam, vt bene ait D. August. in tract. 102. in Ioannem: per illud *Ioannis 16.* Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. De attentione ex qua pender quartus orationis effectus, qui est animæ reformatio, dicitur postea commodius.

De effectibus seu fructibus orationis factæ pro alijs.

SECTIO POSTERIOR.

Quæ hæcenus dicta sunt locum habent maxime in oratione, quam quis pro se facit: iam dicendum est de effectibus illius, quam siue iustus, siue peccator facit pro alijs: perstringemus autem paucis, quæ copiosius tradita videri

possunt apud Nauarr. in tract. de orat. cap. 20. à num. 33. ad finem vsque.

Igitur vel iustus orat pro iis qui sunt in cælo, vel pro iis qui sunt in purgatorio, vel pro iis qui sunt in hoc mundo, vel pro iis qui sunt in inferno. Si orat pro iis qui sunt in cælo ignorans eos esse in cælo, oratio illius est ei meritoria, & satisfactoria perinde ac elemosyna, quam misericordia motus faceret propter Deum alicui, quem bona fide putaret laborare necessitate. Si verò iustus orat pro iis, quos iudicat esse in cælo; oratio illius est reprehensibilis, tanquam proveniens ab errore, quo illos sua oratione egere putat in ipsorum iniuriam, iuxta illud in cap. Cum *Marta 8.* finali De celebratione Missarum. Iuriam facit martyri, qui orat pro martyre. ] Si verò iustus orat pro iis qui sunt in purgatorio, distinguendum est. Nam vel ipse iam beatus est, & oratio eius tantum est impetratoria executionis diuini decreti, quod Deus statuit ab æterno ipsis in purgatorio existentibus donare beatam vitam interuenientibus aliorum precibus; vel adhuc est in hac vita: & oratio eius non tantum est impetratoria, sed etiam satisfactoria pro iis pro quibus orat vt patet ex testimonio quæ adduci solent ad confirmandam suffragia viuorum pro defunctis. Sufficit ad nostrum institutum attingere illud ex lib. 2. *Machabæorum cap. 12.* in fine. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. ] Et illud D. Gregorio *relatum in cap. Anima 13. quest. 2.* Animæ defunctorum quatuor modis soluntur; aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum elemosynis, aut ieiunijs cognatorum. ] Cur verò tale quid contingat potius orationi existentis adhuc in hac vita quam regnantis in cælo, causa est; quod status huius vitæ sit merendi ac satisfaciendi, non item status vitæ futuræ. Id quod his verbis in 4. *dist. 45. quest. 3.* ad sextum D. Thom. attigit.

Suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis, quasi quedam satisfactiones viuentium vice mortuorum: & secundum hoc mortuos à pœna absoluant, quam non soluerunt; sed d. Sancti qui sunt in patria non sunt in statu satisfaciendi, & ideo non est simile de eorum orationibus, & de suffragiis Ecclesiæ. ] Ceterum quod vt pro viuis, sic & pro defunctis beati orant, ex eo patet, quod Ecclesia pariter pro vtriusque intercessionem illorum imploret: vt fidem facit collecta fit quæ tenet in Missa, & ordinariè in publicis Litanis recitari solita. Sic enim habet: Omnipotens sempiternus Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniumque miseris quos tuos fide, & opere futuros esse prænoctis; te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosq; vel presens sæculum adhuc in carnè retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur.

Iam si iustus orat pro existentibus adhuc in hoc mundo, oratio ipsius, pro iis pro quibus orat, impetratoria est, etiam bonorum temporalium: vt constat ex eo, quod orante Moysè, Ioseph uicerit Amalech, *Exodi 17.* & quod sua oratione idem Moyses imminentes cœnicibus Iudeorum, auerterit pœnas & flagella *Exod. 32.* Item quod orante Elia data sit pluuia 3. *Regum cap. 18.* Est quoque eadem oratio peccatori, pro quo funditur impetratoria remissionis peccatorum: non quidem proximè, sed remotè; id est, non quod Deus ad preces iusti det gratiam peccatori nihil operanti ( non enim datur nisi penitentiam habenti, dicente Domino *Lucæ 13.* Nisi penitentiam egeritis, omnes peribitis ) sed quod det illi speciale auxilium, cui si cooperetur, conuertatur ad penitentiam, per quam diuino beneficio consequetur remissionem peccatorum. Ad quod facit tum quod *Matthæi 9.* paralytico profuit fides adducentium ipsum ad Christum; tum quod Christus ipse *Luc. 16.* moneat, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. ] Quibus verbis indicatur peccatores precibus pauperum, quibus fecerint elemosinam, iuuari ad refurgendum à peccato. Adde illud *Iacobi 5.* Orate pro inuicem vt saluemini. ]

Est denique eadem oratio ipsi oranti ( sicut alia ipsius bona opera propter Deum facta ) & meritoria, & satisfactoria. Quod si pro iusto fundatur oratio iusti, ea potest esse huic satisfactoria

ria: quia etsi vnus non possit mereri alteri gloriam, qua vni-  
 cuique redditur secundum opera sua: potest tamen pro eo satis facere  
 ob communionem Sanctoꝝrum existentium in gratia: Deo scilicet  
 ob acceptante pœnam ab vno susceptam, vice pœnæ ab al-  
 tero suscipiendæ in satisfactiõem pro suis peccatis. Alioquin  
 enim non esset vnus indulgentiarum, per quas non modo  
 Christi, sed etiam Sanctoꝝrum satisfactiões nobis applicatur.

67. Denique iustus oret pro iis qui sunt in inferno, oratio est  
 instructiuosa: & nisi ignorantia excuset, est reprehensibilis,  
 tanquam inepta petitiõ conferendum ad æternam salutem,  
 pro ijs, qui ab illa Dei immutabili decreto sunt exclusi: vt pa-  
 ter ex illa irreuocabili sententiã *Matth. 25* Ite maledicti in in-  
 ignem æternum. ] Et ceriẽ si de quibusquam intelligi potest  
 illud *1. Ioan. 5* Est peccatum ad mortem, non dico vt pro illo  
 roget quis: ] maxime potest de ijs qui in peccato mortali de-  
 cessisse, atque adeo in inferno cum epulone sepulsi, probabiliter  
 creduntur. Pro quibus non esse orandum statuitur, *quest.*  
*2. cap. in præsent. & cap. Pro obeuntibus & 2. quest. 5. cap. Placuit: &*  
*in sequenti quest. 8. cap. Quicumque Clericus. Plenus de*  
*hac re differentem Azorium in lib. 9. moral. instit. ca. 31. qui vo-*  
*let videre potest: vt & de eo, quod pro omnibus orandum*  
*sit ex priori ad Timoth. cap. 2. & de eo, quod omnis homo, etiam*  
*hostis, aut alienus, aut infidelis aut impius, & sceleratus sit*  
*noſter proximus, quem Dei iustitiamare debeamus, & idcirco*  
*pro eo orare quod est amoris, & charitatis officium. Quod*  
*quidem ad omnes illos extendi patet; quia quamdiu illi vi-*  
*uant salutem ipsorum possunt sperare à Deo: qui vult om-*  
*nes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*  
*ex eod. 2. ita vt nihil obſtet quin pro eis orandum sit, vt fan-*  
*ctæ fidei lumen recipiant: & ab impietatis errore, improbi-*  
*tateque conuersi, ad sanam mentem & bonamque frugem re-*  
*uertantur. Quo nihilominus modo, non fit pro aliquo ex ta-*  
*libus orandum in particulari, differendum est ad eum locum*  
*in quo ageretur de effectis excommunicationis. Hęcque de o-*  
*ratione iusti pro alijs, hæc tenus.*

68. Quod attinet ad orationem peccatoris, item pro alijs, no-  
 tandum est, peccatorem posse trisariam orare pro alijs: vel  
 tanquam publicum Ecclesiæ ministrum vt tanquam priuata  
 iudicem vel rogatum alterius, vel propria sponte. Atque si  
 oret tanquam publicus Ecclesiæ minister, illius oratio (dum-  
 modo non sit mala ijs pro quibus fit, in Dei gratia existentibus,  
 necdum adeptis beatitudinem, prodest ratione valo-  
 ris quem habet ex parte Ecclesiæ, ob huius in Christum affe-  
 ctum pium, quo illam instituit, præceptique fieri, non prodest  
 autem ex parte orantis, sicut prodest si iustus esset:  
 quia oratio peccatoris, vt talis, tanquam habentis manus  
 plenas sanguine Christi, non exauditur à Deo iuxta *antedicta*  
*num. 58. etiam si eo ipso quod est peccatoris, non sit censenda*  
*mala vt contra Adrianum docet Nauarr. & Medina ille*  
*in tractatu de oratione cap. 6. num. 40. & aliquot sequentibus:*  
*hic verò in Cod. de oratione quest. 12. Si verò peccator oret tan-*  
*quam priuatus, rogata alterius, qui fit in Dei gratia, oratio*  
*quidem illius prodest aliquo modo potest roganti, ob pium*  
*suum affectum, perinde ac pro & iusto domino prodest elemosyna*  
*quam dat pauperi per manus peruersi amuli: non autem ex parte*  
*orantis. Si denique pro alio oret sua sponte, tanquam priuata*  
*persona, oratio illius ob defectum charitatis, ei pro quo*  
*funditur non prodest, ne quidem ad satisfactiõem pro pec-*  
*catis, nec ad postulatam impetrandum ex merito aliquo o-*  
*rantis prout plenus tractat Nauarr. in tract. De oratione cap.*  
*20. num. 33. 34. & 35. Sicque intelligi potest illud *Ioan. 9.* Sci-*  
*mus quod Deus peccatores non audit, non autem in quod nul-*  
*lo modo, audit peccatores. Nam pro diuina sua misericor-*  
*dia & liberalitate, audit pro se orantes vt ante diximus, num.*  
*59. nisi ob malam circumstantiam oratio ipsorum sit mala,*  
*& ideo displicens ipsi Deo, vt & quodcumque aliud peccatum di-*  
*splicet. Quæ etiam est Nauarr. doctrina ibidem.*

## CAPVT NONVM.

De præcepto &amp; obligatione orandi.

## SVMMARIVM.

69 Datur præceptum diuinũ de oratione, illud, obligans sub mortali.

70 Talem obligationem communem esse omnibus Christianis.

71 Non esse impositum pro certo loco:

72 Nihilominus interdum necessarium, & ordinariẽ melius esse ora-  
 re in loco sacro, quam in profano: & in loco honesto, quã in sordido.

73 Nec etiam impositam esse pro omni tempore.

74 Impositam esse tantum pro tempore necessitatis.

75 Quando necessitas in qua peccatur mortaliter transgressione diu-  
 ni præcepti de orando datur, censenda sit contingere.

69. **C**omune Theologorum axioma est quod notat Gre-  
 gorius à Valen. *secunda secunda disput. 6. quest. 2. puncto 3. col.*  
*1684.* omnem actum ad æternam salutem necessarium, pari-  
 ter esse præcepto diuino necessarium. Orationem vero talẽ  
 actum esse, ex eo patet: quod omnes teneamur æternæ salu-  
 tis nostræ cuiã gerere: quod satis indicauit Dominus noſter  
*Matth. 6* cum docens nos non esse de rebus ad huius vitæ lu-  
 stentationem necessariis sollicitos, præcipit vt primum que-  
 ramus regnum Dei, & iustitiam eius, adeoque vt necessa-  
 ria ad æternam noſtram salutem: pro quibus sine dubitati-  
 one recurrendum est ad Deum: quandoquidem aliunde  
 haberi non possunt iuxta illud *Ioan. 15.* Sine me nihil potestis  
 facere. ] & illud *posterioris ad Corinth. cap. 3.* Non sumus suffici-  
 entes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis: sed suffi-  
 cientia nostra ex Deo est. ] Vt autem à Deo talia omnia obti-  
 neantur, necessaria est oratio, de qua præceptum diuinũ ha-  
 betur ex multis sacre Scripturæ locis: vt cum *Matth. 6.* dicitur.  
 Sic vos orabitur, Pater noſter qui es in cœlis, &c. ] & *cap.*  
*7.* Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur  
 vobis. ] & *cap. 26.* Vigilate & orate ne intretis in tenta-  
 tionem. ] & *Luc. 18.* Oportet semper orare, & non deficere. ]  
 & *ad Rom. 12.* Orationi stantes. ] & *ad Ephes. 6.* Galeam salu-  
 tis assumite & gladiũ spiritus (quod est verbum Dei) per ora-  
 tionem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu.  
 ] & *ad Col. item 4.* Orationi inuitate vigilantes in eo: ] & *prioris*  
*ad Theſſ. 5.* Sine intermissione orate. ] & *Iacobi 5.* Orate pro in-  
 iuricem vt saluemini. ] Ad cuius præcepti obligationem intel-  
 ligendam sequentia occurrunt notanda:

Primum est: illam esse sub peccato mortali: quia tale præ-  
 ceptum, cum sit de re ex se graui, vt pote necessaria ad æter-  
 nam salutem, vt prædictum est, obligat sub tali graui pœna.

Secundum est: talem obligationem esse communem om-  
 nibus Christianis: nam ad certas personas, ante propoſita  
 Scripturæ testimonia restringendi, nulla ratio datur: cum om-  
 nes naturali iure teneamur gerere curam nostræ salutis,  
 amplectendo media ad eam necessaria: inter quæ, vt ostendi-  
 mus, est oratio, qua petimus à Deo peccatorum nostrorum  
 remissionem, & diuinam ipsius gratiam, atque aduersus tẽ-  
 tationes auxilium. Cuius petitionis necessitas facit, vt tanta  
 sollicitudine probi parentes, suos infantulos doceant oratio-  
 nem Dominicam, & salutationem Angelicam, quotidieque  
 recitandam inculcent: Quod etiam in illorum defectu, præ-  
 standum patris & matris iniungitur, De consecr. dist. 4.  
 cap. Vos ante omnia.

70. Tertium est: Eam non esse impositam pro certo loco, cũ  
 D. Paulus dicat in priori ad Timoth. cap. 2. Volo viros orare in  
 omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione:  
 Similiter & mulieres in habitu ornato, &c. ] Itemque Ec-  
 clesiã in præfatione Missæ dicat. Verè dignum & iustum, æ-  
 quum & salutare, nos tibi Domine semper & vbique gra-  
 tias agere. ] De qua re laudat Nauarr. in tractat. de oratione. cap. 5.  
 Ad vitandam autem nimiam prolixitatem contenti erimus  
 nonnulla annotare ad quotidianum vsum commoda. Ac  
 primo omnem orationem siue mentalem siue vocalem; &  
 hanc siue privatam, siue publicam privatim recitandam: se-  
 cundò istud ipsum pati exceptionem in  
 duobus casibus. Prior est, cum oratio fuerit præcepta, cer-  
 to loco fieri. Neque enim, qui vel ex voto, vel ex confessarij  
 impositione, vel ex aliqua lege, vel rationabili consue-  
 tudine aut fundatoris statuto tenetur Missam aut preces a-  
 liquas dicere in certo loco, satisfactiõem dicendo in alio. Pro  
 qua re Nauarr. num. 3. iura, & Doctores citat. Posterior casus  
 est, si non concurrant debite circumstantiæ. Nec enim licet  
 orare in loco in quo daretur aliis scandalum, mouendo illis  
 risum, aut dando occasionem, ipsum orantem, de hypocrisis,  
 aut superstitione damnandi. Tertio ceteris paribus melius  
 esse orare in locis sacris quam alibi. Pro quo Nauarrus

num. 4.

num. 4. adfert cap. Parfimoniam iuncta Glossa distinct. 4. r. & cap. Decet. De immunit. Ecclesiarum. atque ex D. Thoma hanc rationem: quod in illis a i melius orandum iuvenur specialiter à Deo. Tum ratione Episcopalis consecrationis ipsorum in domos Dei; & per consequens, in domos orationis: dicente Domino *Matth. 21.* Scriptum est domus mea domus orationis vocabitur. ] Tum ratione sacrosanctæ Eucharistiæ, & reliquiarum, altarumque rerum sacrarum in eis asseruatarum. Tum demum ob sanctorum præsidium, & affluentium deuotionem per quam iuuamur, vt facilius audiamur.

72. Quartò, cæteris quoque paribus melius esse orare in loco honesto, quam in obscuro: licet oratio mentalis quocumque in loco fiat, si cæteræ circumstantiæ debite concurrant, placeat Deo; vt ex D. Thoma habet *Naui. num. 6.* Pro eoque facit quod in præced. num. 2. idem etiam habet ex D. Bernardo, Vbi cumque fueris, intra te et ipsum ora. ] Sique per necessitatem detineatur quis in loco obscuro, vt capus ab hoste & inclusus, nihil prohibet quin possit tibi præces obligatorias recitare. Nec etiã reprehendendus videtur qui aliquas orationes ad quas non obligaretur, recitaret in eiusmodi locis, dummodo aliæ debite circumstantiæ concurrant. Quod vtrumque numero 8. 9. & 10. Nauar. confirmat: Tum ex eo quod cessante scandalo, vel specie hypocrisis, aut contemptu Sacrorum verborum, & irreuerentiã eius quæ alloquimur, oratio non censetur loci sordibus contaminari, sicut nec anima; cui contaminacionis periculum magis imminere potest ex circumstantiã loci publici suppeditantis materiam terrenarum cogitationum, per quas ipsa inquinatur. Vnde fit (quod in plerisque probis & pijs viris senotasse ait *Naui.*) vt aliqui peregrè profecti, non auerferentur, horas Canonicas recitare in stabulo secus iumenta sua; quia ibi quietius recitant quam in cubiculo diuersorij, vbi per strepitum impeditur; præsertim cum ex loci humilitate & sordibus excitari possit orans, ad reputandum secum altius, quantum per nostram vilitatem & sordēs, distemus à diuina maiestate: quæ nos ad colloquium dignatur admittere.

73. Quartum notandum est: propositam obligationem non esse impostam pro omni tempore; quando quidem requireret alioqui impleri in hac vita: cum necessitas comedendi, dormiendi, faciendique alia necessaria ad conseruationem nostram atque exequendi officia Parentibus, Superioribus, & aliis proximis debita, non permittat orationi siue mentali siue vocali incessanter insistere. Nec obstat illud *Luce. 18.* Oportet semper orare: & similia. Nam (prout ratio proposita ostendit) non possunt eam sensum habere quo imponant obligationem numquam cessandi ab actu orandi. Accommodatus verò sensus videtur esse, vt particula *Semper* intelligatur non de omni tempore generaliter, sed specialiter de omni tempore quo incumbit necessitas orandi ad spiritalis vitæ conseruationem: sicut & cum Dauid dixit ad *Miphiboseth 2. Regum 9.* Tu comedes panem in mensa mea semper: ] non ita est intelligendum quasi Miphiboseth perpetuò mansurus esset in mensa comedens panem: sed quod omni tempore constituto refectioni corporis, ad vitæ corporeæ conseruationem. Legat qui vult Bellarm. in *lib. 1. de bonis operibus. cap. 9. conditione 6.* Azor. in 1. part. Moral. instit. lib. 9. cap. 34. quæst. 1.

74. Iam & videri possit eadem obligatio imposta pro certo, determinatoque tempore per illud *Psal. 54.* Vespere, mane, & meridie, narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocem meã; ] & per illud *Psal. 118.* Media nocte surgebam ad confitendum tibi. ] Sed non est ita: quia inde tantum sequitur Dauidem seruasse illam temporis circumstantiam in orando, non autem quod ea sit in præcepto. Vnde tam D. Thomas, quam plerique alij vt in præced. cap. 3. num. 5. *Nauar. notat*, statuunt; neque iure naturali, neque positio diuino præfixum esse certum aliquod tempus ad orandum: ita vt de diuino præcepto orandi, perinde sit dicendum, ac de plerisque aliis affirmatiuis; nimirum obligare tantum pro tempore necessitatis: prout notat *Gregorius à Valen. 2. disput. 6. quæst. 2. puncto 3. sub finem.* Quod tamen limitandum est, ex *Nauar. in eod. cap. 3. num. 15.* vt nihilominus iure diuino oratio fieri debeat eo tempore, quod per iuramentum, aut votum, aut penitentiam acceptatam præfixum fuerit.

75. Cæterum ad iudicandum in particulari quando peccetur

mortaliter transgressione præcepti diuini dati de orando, videtur de tali necessitate cum *Nauar. ipso in præced. num. 14.* tenendum: quod ea contingat quoties casus adest, in quo quis existimat se non habere aliam rationem consequendi suam aut proximi salutem, seu vitandi aliquod peccatum mortale, aut ex eo consequentem æternam damnationem, quam per orationem: verbi gratia quando quis aduertit se tam grauius tentari impatientiã, luxuriã, ambitione, aut alio peccati mortalis genere, vt nihil ad liberandum se à lapu existimet sibi sufficere, præter opem diuinam oratione obtinendam: aut quando videt aliquos ad duellum procedere, in quo se mutuo occidant; nec aliter eos iuuare potest quam oratione. Confirmatur verò hæc doctrina, ratione, quam ex *Palud. idem Nauar. habet in eod. cap. 3. num. 10.* Quod vt attentò solo iure diuino, tunc duntaxat tenemur mendicare, & propter Deum panem materiale petere, cum non subest illa ratio conseruandi vitam nostram corpoream; aut alterius qui nostræ fidei curæque creditus est; ita tunc demum neamur orare & petere bona ad nostram vel proximi salutem necessitatem, quando nulla alia subest conseruandæ ratione. Vnde post eundem *Palud. Nauar. ipse in seq. num. 11. 12. & 13.* infert. Non peccare mortaliter eum qui videns se peccato mortali irretitum, non orat seu non petit à Deo gratiam ex eo emergendi, si quidem verosimiliter credat sibi tempus postea petendi & penitendi non defuturum. Nam hec in eo casu peccat mortaliter non penitendo, iuxta communem doctrinam de obligatione ad contritionem: diuinum tamen ei peccatum ipsum non placeat. Neque item mortaliter peccare eum qui pro proximo quem nouit peccato mortali irretitum, omittit orare Deum, vt ab eo liberetur: quantumuis sciat oratione sua iuuandum vt idem *Nauar. tangit consequenter num. 5.* si pariter sciat (quod ordinariè contingit) aliud adesse remedium: tum penitentiam, cuius nullum sufficiens impedimentum, ipsum habere apparet: tum admonitionis, & curæ quæ de eo ab alijs geritur. Quæ doctrinã facit ad solatium conscientiam timoratarum: non quidem vt relaxetur in nobis studium orandi tam pro nobis, quam pro alijs: sed vt liberemur ab anxietatibus quas pati oporteret, si de omnibus omissionibus quæ acciderent non orando pro existentibus in peccato mortali, penitendum esset, & confitentium tanquam de peccatis mortalibus. Ad quod solatium facit etiam quod habet *Gregor. à Valen. loco citato*, non peccari per omissionem orationis, nisi quis eo tempore quo orare oportet aduertat vel aduertere possit ex præcedenti aliqua præcognitione (qualis fuit, quam ex *cap. 26. Matthæi; à Christo acceptum Apostoli, dicente illis: Vigilate & orate, vt non iniretis in tentationem*) quod necesse sit tunc orare: quia si id nullo modo veniat in mentem, inuincibiliterque obliuiscatur quis orationis faciendæ, sicut omisso illius non erit voluntaria, ita nec erit peccatum: quia nullum est peccatum nisi voluntarium.

Aduertendum tamen est, eum qui longo tempore non orauit; merito debere sibi conscium esse peccati mortalis commissi omitendo orationem: cum, vt idem auctor bene addit, vix moraliter loquendo, longum tempus labatur; quin incidant grauissimæ tentationes, ad quas repellendas orare oporteat ex diuino præcepto. Quamquam ij qui sunt timorata conscientia, raro peccant in hoc genere: quoniam frequenter orant, etiam si fortè non recordentur, nec aduertant se ad id teneri.

## CAPVT DECIMUM.

De requisitis ad orationem, vt tanquam bona censeri possit accommodata ad implendum præceptum diuinum datum de orando.

### SVM MARIVM.

- 76 Orandus est solus Deus propter se: propter ipsum vero Sancti quoque sum orandi, non tamen à ij, quam iam in celo regnantes.  
77 Speciantia ad remotam preparationem ad orationem.  
78 Speciantia ad preparationem propinquam.  
79 Reuerentia ad orationem requisita.  
80 Dispositio requisita siue ex parte animæ, siue ex parte corporis ad orandum cum reuerentia.  
81 Deuotio requisita ad bonam orationem.

- 82. Non modo mentalis sed etiam vocalis oratio requirit attentionem et bonam finem.
- 83. Quem esse oporteat eam attentionem.
- 84. Triplex attentio orantis vocaliter, vna ad verba, altera ad sensum verborum, & tertia ad finem orationis, qua potissimum necessaria est.
- 85. Quando per defectum attentionis in oratione committatur peccatum mortale, quando veniale, quando nullum.
- 86. Documentum de eo qui oratione vocati orat suo Marte.
- 87. De interruptione attentionis impediende orationis fructuosos effectus.
- 88. Interruptio attentionis tacita, quomodo contingat.
- 89. Ratio iudicandi de actione, cum qua stare non potest attentio requisita ad bonam orationem.
- 90. Quando censetur quis mutasse attendendi propositum.
- 91. Quomodo contingat mortale peccatum ex tacta interruptione attentionis.
- 92. Admenda ad cobibendas euagationes mentis contingentes in oratione.
- 93. Quodnam sit orationis bonae obiectum.
- 94. Quae bona liceat absolute petere in oratione, & quae tantum sub conditione.
- 95. Quomodo licitum sit bona temporalia petere in oratione.
- 96. Peccati de ipsatione licet a Deo petere absolute: aliorum vero malorum, sub conditione.
- 97. Quae oratione interdum vsurpentur orationes, quae nihil exprimit eorum, quae obtinere intendimus.
- 98. Quis sit bona orationis debitus finis.
- 99. Non modo peccatum, sed nec bonum honorarium, cum fuerit vanum, orationis debitus finis esse potest.
- 100. Tres casus, in quibus bonum honorarium censetur vanum.
- 101. Triplex finis ad quem idem bonum aut aliud temporale relatum actualiter, aut virtualiter non est vanum, beneque expeditur.
- 102. Quomodo cognoscatur ea virtualis relatio.
- 103. Tria corollaria collecta ex precedentibus.

Cum oratio mala, sit peccatum, nec Deo accepta: iuxta illud *Psal. 108.* Oratio eius fiat in peccatum. & illud *Proverb. 28.* Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Oportet bonam esse eam, per quam implendum est diuini praeceptum de orando datum: id est eo quae ad eam requirantur, hic tradendum est, & explicandum.

De eo qui orandus est.

SECTIO I.

76. PRIMUM igitur est, ut eum oremus qui orandus est: is autem (vt bene docet *D. Thom. 2. 2. quae. 83. art. 4.*) est quidem solus Deus tanquam is, à quo accipiendum est illud quod in oratione petitur. Ipse enim solus supernaturalium gratiarum & gloriae donorum, quae praecipue petitur in oratione, auctor est, eandemque principalis iuxta illud *Psal. 83.* Gratiam & gloriam dabit Dominus: attamen orandi quoque sunt Sancti, tum Angeli, tum homines in caelo regnantes; tanquam i qui intercessuri sint apud Deum pro impetrando eo, quod ab ipso petimus ex *Conc. Trident. sess. 25.* sub initium, in secundo decreto: quod propagnant aduersus nostri temporis haereticos, qui scribunt de Sactorum inuocatione. Legi potest *Greg. à Valen. 2. 2. disput. 6. quae. 2. puncto 7.* nam in ea re immorari non est nostri instituti. Ad quod factis fuerit monere: eam differentiam indicari per receptissimum Ecclesiae vsuum, quo Deum orat per Misereere nobis: Sanctos vero per O pro nobis: quod notat *Navar. in tractat. de oratio. cap. 1. num. 21.* Quia ergo solum Deum colere licet propter seipsum, seu venetai diuino cultu: iuxta illud à Domino nostro citatum *Matth. 4.* Dominum Deum adorabis, & illi soli seruias. Sanctos vero solummodo propter Deum seu tanquam Patronos & Aduocatos nostros apud ipsum: quos vult à nobis tanquam amicos, & familiares suos coli & honorari, iuxta illud *Psal. 38.* Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Quia, inquam, haec ita sunt: oratio cum sit cultus quidem diuinus, vt pote religionis actus, faciendus est soli Deo absolute, & propter seipsum: Sanctis autem solum respectu, seu propter Deum: & hoc adhuc differenter: nam praeter beatos Angelos, illos tantum Sanctos nomina-

tum (vt sit in litanijs) orare publice debemus, quos Ecclesia vitam sanctos in caelo reguare per canonizationem declarauit, id quod glossa ad cap. vnicum, de reliquijs & veneratione sanctorum, in 6. verbo, Sedis Apostolicae, notat ex Innocentio & Hostiensis. Adde nihilominus cui libet licere in secreto alicui defuncto quem Sanctum credit, preces porrigere, vt pro ipso ad Deum intercedat. Quod intellige, si credat iam in caelo regnare. Nam non constat, an tales preces possimus porrigere deuentis adhuc in purgatorio. De qua re in vtramque partem Auctores, & rationes adfert *Aragonius* ad cit. *D. Tho. art. 4. colum. penult.* sicut nec constat an illi pro nobis orent: quod cum *D. Tho. in eodem art. ad 3.* Theologos negare notat *Azor. in 1. par. Mor. in 1. lib. 9. cap. 10. quae. 12. & cap. 30. quae. 4.* Nobis autem satis est ad inclinandum ad partem negantem cum ipso *D. Thoma, Alexandro, Abulensi, D. Antonino, Syluestro, & Nauar.* quos *Aragon.* pro ea citat: quod Ecclesia pro illis qui sunt in purgatorio orare quidem soleat non tamen eos orare. Quod attinet ad iustos adhuc viuentes; illorum quidem intercessio nem ad Deum pro nobis petimus, sed talis petitio non est oratio, de qua agimus; sed tantum colloquium (ex *D. Tho. ibid.*) quo eam spiritalem elemosinam nobis fieri rogamus, sicut mendici rogant aliquid panis sibi largiri.

De preparatione ad orationem.

SECTIO II.

SECUNDUM quod bona oratio, saltem vt bene fiat, requirit, est preparatio, de qua *Ecclesiasticus 18.* Ante orationem prepara animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Cum autem multa sint, quibus animus ad tam sanctam, tamque sublimem actionem preparatur (de quibus inter ceteros praecare *Ludouicus Granatensis* in 2. parte sui tractatus de oratione) pauca tamen necessaria attingisse contenti erimus breuitatis studio: eorum autem alia pertinent ad preparationem remotam, & alia ad propinquam.

Atque illa sunt, quae faciunt vt animus suscipiat ardentius, exerceatque vilius orationis studium: quorum quaedam procuranda sunt, & quaedam remouenda. Procurandum est primum vt excitetur in nobis Christianae perfectionis, quae est ad aeternam salutem via, ardens desiderium: deinde vt firmiter in animo constitutum habeamus, nihil nos iuuante diuina gratia, omittere velle eorum, quae ad eandem perfectionem spectant: memores quod à Domino *Matth. 6.* iubemur primum quaerere regnum Dei & iustitiam eius; postremò vt excelso, liberalique animo, nos totos Dei manibus committamus tractandos ac formandos: quando quidem ex *cap. 3. posterioris ad Corinth.* Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.]

Remouenda sunt vero, quae mentem distrahant varijs cogitationibus, & voluntatem dissipant varijs affectibus, vt occupationes nimiae, quae si necessariae sunt, aut iustus de causis suscipiendae, danda est opera, vt mens, quo expeditur sit ad vsandum Deo in oratione, custodiatur in quiete: quod maxime fiet seruando sensus sub diligenti custodia, procurando quoque exteriorem recollectionem; ac renouando frequenter memoriam diuinae praesentiae, imitatione *Dauidis* dicentis in *Psal. 15.* Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est ne commoueat.

Ad propinquam autem preparationem pertinentia, sunt illa quae faciunt, vt cum debita reuerentia & attentione oremus. Quae est, primum ante orationem facere delectam siue punctorum considerandorum in oratione mentali, eaque memoriae commendare: siue praecum recitari statum in oratione vocali. Deinde paulo ante eandem, breuiter quidem, sed ardentè cogitare quo accedendum nobis sit, quidque faciendum; nimirum accedendum est ad colloquium cum Deo, & Domino nostro, cum eaque de rebus maximis: nempe de nostra & proximorum perfectione ac salutem transigendum. Denique magnificam quandam, & excellentem opinionem de diuina maiestate animo concipere: de nobis vero abiectionem, quod facile fiet ponderatis seipsum perfectionibus Deo attributis (quarum notitia habetur ex *symbolo Apostolorum, quod est compendiosa Dei cognoscendi via*) & comparatis cum septem nostris defectibus oppositis;

Primo



Primò igitur, Deus est rerum omnium creator; quod infinitam in eo potestatem, sapientiam, & bonitatem ostendit; homo autem ex nihilo creatus, ex se nihil est. Secundò, Deus conseruator est omnium quæ condidit, eadem sapientia, potestate, & bonitate sua sustinens illa, ne in nihilum relabantur. Homo verò ex cap. 14. *Iob.* quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodè statu permanet. Tertio, Deus gubernator est omnium rerum, omnibus pro eadem infinita sua potestate, scientia, & bonitate prospiciens, suauiterque perpetuà quadam paternà curâ ad fines suos, illa perducens: de quo *Sapient. 8.* Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Homo autem ex insita imbecillitate non potest, ex ignorantia nescit, & ex malitia non vult sibi bene prospicere, immo ne quidem boni aliquid cogitare de se potest ex capite 3. *posterioris ad Corinth.* Quarto, Deus redemptor noster est, nostri causa homo factus, grauissima passus, & ignominiosè mortuus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter ad *Coloss. 2.* Homo verò de se peccati & diaboli mancipium, innumerabilibus præsentis & futuræ vitæ miseris est obnoxius: de quo *Iob cap. 14. cit.* Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miseris. Quintò, Deus parens est sanctitatis, qui gratiâ suâ cælestibus donis sanctos efficit: homo verò in peccato conceptus & natus, solum quoddam vlcus est, & omnium turpitudinum sentina detestanda. Sexto, Deus gloriæ largitor est: homo verò donorum cælestium, quæ ad illam ducunt contemptor & dissipator miserabilis, pro nihilo habens terram desiderabilem viuentium, in qua videat bona Domini (iuxta illud *Psal. 26.* Credo videre bona Domini in terra viuentium) & citato cursu pergens ad terram tenebrosam, & operam mortis caliginem, terram miseriam & tenebrarum ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat] ex capite 17. *Iob.* Postremò Deus iudex est, & vindex summus omnium: homo verò, æternorum cruciarum coram ipsius maiestatis reus est: propter commissa mala, & omissa bona per transgressionem præceptorum.

De reuerentia ad orationis bonitatem requisita.

### SECTIO III.

79. Tertium ad bonam orationem requisitum, est reuerentia, adoratioque diuinæ maiestatis; ad impetrandum enim à Deo gratiam (vt bene docet Bonauent. in 2. par. opusculi, quod inscripsit incendium amoris) debet cor nostrum incuruari ad illius reuerentiam & adorationem: ex consideratione scilicet, & admiratione tam immensitatis, quam misericordiæ ipsius, nostræque vilitatis & miseriam: ita vt plenè utramque sentientes ac profitentes, vnâ deplorando, & alteram implorando, venerabundi ad sacros quasi pedes tantæ maiestatis prouoluti, eidem nos totos ex animo penitusque subiciamus.

Tum tanquam Patri, à quo sumus in lucem editi, educati, & æternæ hereditatis capaces effecti. Tum tanquam Domino, qui pretio verè magno, nempe vniuersi filij sui sanguine, nos de captiuitate diaboli redemit, simulque ad famulandum sibi in omnibus, nos conduxit mercede excedente omnem mentis humanæ captum: iuxta illud quod ex *Isaia cap. 64.* habet Apostolus in priori ad Corinth. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.] Tum demum tanquam Iudici, coram quo accusati sumus clamore nostræ conscientiam; & conuicti sumus euidentiâ vitæ nostræ, aspectuque diuinæ sapientiam. Atque primo modo, ex D. Bonauent. loco cit. subiciamus nos per modum inclinationis: secundo verò, deijcimus nos per modum genuflexionis: tertio demum abijcimus nos per modum prostrationis.

80. Cæterum quæ interior animæ compositio requiratur ad orandum cum debita reuerentia, intelligi potest per antè dicta num. 55. & aliquot sequentibus de requisitis ad piè orandum, quia talis pietas debitam reuerentiâ importat. Quæ autem requiratur exterior corporis, non definitur in particulari, sed solum in genere statuitur, cuique liberum esse eo modo corpus in oratione componere, quo sperat se facilius cum debita animi deuotione, & maiore fructu in ea versaturum: siue genibus flexis, quod maxime laudatur, commu-

nissimumque est: siue, dummodo locus ferat, prostratus humi: siue sedens aut stans. Quod intellige de priuata oratione, vel de publica priuati facta. Nam in publica publicè facta, quilibet seruare debet ritus & mores siue vniuersalis Ecclesiæ, siue suæ propriæ; quod latè explicat Nauar. in tractat. de orat. cap. 4. Cauendum est verò, ne tali reuerentiæ admisceatur vana aliqua obseruatio; quia etiam si aliæ debitæ conditiones ad sint, inde tamen oratio erit mala tanquam superstitiosè, nec debito modo facta, vt ex recepta communiter D. Thomæ doctrina habet idem Nauar. in sequenti cap. 6. num. 45. Ad dens ex eodem; vanam obseruationem cenferi, vsum cuiusuis rei, ad aliquem effectum, quem ea nec virtute naturali, nec institutione diuina, vel humana Ecclesiastica operari potest, neque cæremonia est concernens reuerentiam & honorem Dei, vel suorum Sanctorum. Cuius vanitatis aliquot exempli à de auctor sequentibus numeris subiungit; & nimis multa quotidie occurrunt: de quibus agere est altius loci.

De deuotione ad orationem bonam necessaria.

### SECTIO IV.

81. Quartum requisitum ad bonam orationem, est deuotio; qua orans se prompta voluntate conformet submitratque diuinæ voluntati. De ea documentum Christus dedit, cum modum orandi præscribens, inter cætera posuit, Fiat voluntas tua. Exemplum etiam dedit, cum orando dixit, Pater transfer à me calicem hunc, veruntamen non mea sed tua voluntas fiat. Et certè de prauari orationem per hoc, quòd homo absolute petat à Deo quod lubet, non subiiciendo suam voluntatem diuinæ: patet ex eo, quod non humilis sed superba sit talis oratio, vt bene ait Medina in cod. De oratione, quæst. 12. & probatur quia aliquid à Deo ita petere, petinde est, ac petere, Domine fiat quod ego volo, & non quod tu vis: id quod est superbe reniti diuinæ voluntati, & ideo a parte illicitum. An autem sit necessarium vt de otio feruida sit & intensa, ita vt oratio ad Deum sua deprauetur defectu talis feruoris, & intensiois, peccetque is qui sine feruida & intensa deuotione orat: vt disputat Medina in sequenti quæst. 13. partemque negantem sequitur: & ad ea quibus orationis tepiditas damnatur: respondet distinguendo de tepiditate: quod quædam sit feruori intensoque conatu opposita, illum excludens: quædam verò opposita diligentiam, quæ executioni operis debetur, & consistit in eiusdem diligentiam omissione, admissa in executione: hæcque est tepiditas quæ tanquam culpanda reprehenditur in oratione etiam non deprauet omnino.

De attentione ad bonam orationem necessaria.

### SECTIO V.

82. Quintum requisitum ad bonam orationem, est attentio: de qua D. Thomas & interpretès ipsius agunt. 2. quæst. 83. art. 13. & latè accommodatèque ad præxim Nauar. in tract. de oratione cap. 1. & aliquot sequentibus, nonnullique ad i. v. Medina in sequenti quæst. 14. Nos aliquot documenta pro praxi quotidiana notabimus.

Primum est: mentalem orationem esse non posse absque attentione: repugnat enim mente orare, & non attendere; siquidem attentio nihil est aliud, quam aduertentia mentis ad id quod voluntas intendit. Vnde cum primum mens euagari incipit, orare desinit: quia illius aduertentia cessat, & per consequens consideratio, in qua mentalis oratio consistit. Ab oratione autem vocali attentionem abesse posse constat: quia non ex se sed ex orantis solum voluntate, attentio illi conuenit.

Secundum est: ad orationem vocalem requirit attentionem non tantum ad percipiendos ex ea fructus supra positos, quod omnes concedunt teste Nauar. in eodem cap. 13. n. 13. sed etiam ad vitandum peccatum intrinsecæ diuinæ, indicatum verbis Prophetæ relatis à Domino nostro *Matth. 15.* Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me: & sententiis Patrum relatis à Medina in eadem quæst. 14. vbi id contingere non modo in oratione posita in præcepto aut publica, sed etiam in libera, & priuata, probat à pari: quia si quis non ex præcepto, sed ex libera sua voluntate vult confiteri, hoc facere debet cum contritione: alioqui per irreuer-

rentiam

reñam Dei peccabit, etiam si confessionem omittere possit. Similiter si quis celebrare Missam aut communicare velit, etiam si liberum ei sit id omittere, peccabit per eandem irreuerentiam Dei, nisi prius se probet ac disponat. Quare & peccabit qui vult orare Deum, seu petere aliquid ab eo, nec curare attentionem: ita ut loquatur cum eo tanquam faciemens aures ab ipso, quod est irreuerenter, temerariè & cū quodam contemptu gerere se, cum infinita illa maiestate. Quam doctrinam ex D. Thoma referens, & non ab simili ratione confirmans Nauarr. in cit. cap. 13. a. num. 39. ad 47. ex ea infer: aliquos inter dum peccare taliter orando qui non peccarent non orando. Similiter peccare dicendo aut audiendo Missam, horas canonicas, seu diuina officia, qui non peccarent non dicendo aut non audiendo illa.

83. Aduerte autem quod loco citato versu Si virgeas habet Medina: quia non est in potestate nostra quin distrahamur aliquando iuxta illa i. Psal. 39. Cor meum dereliquit me.] nullum ius obligare orantem ad continuam attentionem actualem habendam quandiu durat oratio: sed satis est si oras habas, vel istam, vel virtuales. Quare est cum quis orat, post habi um ar eudi, Deoque vacandi propositum siue expressum siue etiam tacitum ex Nauarr. in procedenti num. 16. perdurat in oratione absque proposito distrahendi se ad alia, etiam si contingat ipsum acti distrahi. Quod quidem est attentionem non interrumpi distractione inuoluntaria; sicut interrumpitur distractione voluntaria: quatum illa contingit, quando orans ad alia distrahitur; non quidem sciens, nec ex proposito, sed vel contra, vel p̄ter suam voluntatem: id quod excusationem habet ob naturalem intellectus nostri volubilitatem. Hæc verò contingit, quando orans aduertit se orare, & nihilominus vult alia diuer'a considerare; id quo i. consuetudinem habet diuina irreuerentiæ culpam. Ex qua doctrina Nauarrus in eod. cap. 13. a. num. 13. multa deducit spectantia maxime ad horarum canonicarum recitationem; de qua in sequenti libro 18. dicendum erit ex instituto.

84. Tertium documentum est, sumptum ex D. Thoma loco citato, tripliciter esse posse attentionem orantis vocaliter; vnam ad verba, nempe ut ea debite pronuncietur: quam cum deuotione coniungendam esse in recitatione diuini officij, districte & sub obedientia in cap. Dolentes, de celebr. Missam §. finali, præcipitur per verbum studiosè, prout glossa ibidem declarat.

Alteram verò attentionem esse posse ad sententiam verborum, non quidem secundum grammaticam ipsorum interpretationem, sed secundum eum sensum, quem docti habere possunt. Quare attentio non est necessaria, quando quidè idio:as illam non habent, nec tamen ideo damnatur ipsorum oratio; vt patet ex eo, quod Moniales obligatæ ad recitatione diuini officij, nec Latinam linguam teneant, nec ea de causa discere teneantur: quanquam ad animæ refectionem talis attentio valde vilis est. Tertiam demum attentionem esse posse ad finem orationis, nempe ad Deum, & ad eum pro qua obtinenda oratur. Eam D. Thomas maxime necessariam esse, & ab idiotis haberi posse ait. Et certè cum oratio sit actus quidam mentis ad Deum cum pio & humilli affectu; ipsa de se sic includit talem attentionem, vt siue ea censenda non sit vera oratio, sed ficta; vnde vt post Caiet. notat Nauarr. in sequen. num. 33. si quis adeo contentus est taliquo duorum primorum modorum attendendi, vt nō procuraret hunc tertium, imple neque mereretur, neque obligationi satisfaceret; vnde cauenda est in recitando sollicitudo ea proferendi omnia, aut occupandi se in alicuius rei consideratione, per quam non promoueatur, sed potius retardetur mentis ascensus ad Deum, considerando cum cum pio, humilique erga ipsum affectu amoris.

85. Quartum documentum est, per defectum attentionis in oratione, nonnunquam committi peccatum mortale, nonnunquam tantum veniale, nonnunquam nullum: nam peccat mortaliter qui orat ex præcepto, nec habet attentionem aut actualem, aut saltem virtuales, prout tenent D. Thomas, Caiet. Palud. & D. Antoninus, quos citat & sequitur Nauarr. in eod. cap. 13. num. 46. Immo ea est communis omnium Doctorum sententia, vt in interpretatione eiusdem D. Thome affirmat Aragonius. 2.2. quasi 83. artic. 13. ad 3. Rationem addens, quod horas canonicas recitans sine virtuali saltem attentio-

ne ad verba transgrediatur præceptum cap. Dolentes, de celebr. Missam §. finali: ideoque peccet mortaliter: cum eiusdem præcepti obligatio sit sub mortali, prout satis ostendunt verba quibus in illo §. finali, Pontifex præcipiens virtutem nempe, Districte præcipimus in virtute obedientia. Accedit, quod cum præceptum diuinum de orando, obliget sub reatu mortali, vt supra num. 69. diximus, peccatum mortale committi transgressione illius, quando necessitate ad implendum ipsum vigente, oratio sit sine attentione tertij modij: quoniam talis defectus facit, vt ea non sit verè oratio: vt pote facta sine mentis ad Deum eleuatione, quæ ad naturam orationis requiritur.

Venialiter verò tantum peccatis, qui non ex præcepto sed sua voluntate orat sine attentione, quod loco citato Aragon. post Sotum lib. 10. de iustitia & iure, quest. 5. ar. 5. probat ex eo, quod defectus circumstantiæ attentionis in opere alias non debito, inducat tantummodo indecentiam quamdam, quæ non militat p̄ter contra charitatem.

Non peccat demum quis, eo ipso quod sine particulari attentione ad verba, recitet orationem quæ in scriptura continetur, vel ab Ecclesia ordinatur; si non recitet ex præcepto, sed sua solummodo voluntate. Huius rei rationem hanc indicat Med. in Cod. De oratione quest. 14. sub finem, quod in recitatione eiusmodi orationis, bene apteque ex Spiritu sancti directione ordinata, non sit periculum (sicut in oratione, quam quis proprio Marte ordinaret) inepte imprudenterque loquendi cum Deo: cum, a tali authore oratio nihil possit habere nisi conuenienter ordinatum: neque periculum non recitandi integrè ob defectum prædictæ attentionis, videtur magis de se culpam habere (nisi inde oratio ita immutaretur vt ineptæ redderetur) quam non recitare omnino: quod quia ponimus ex solo voluntatis arbitrio pendere, nihil est vnde censetur culpa habere: sicut nec cœnula ab eo qui pro sua tantum voluntate ieiunat facta largiter, peccatum est: cum illam faciens, vt nullum transgrediatur præceptum, ita nec peccat. Adde, neque illum qui recitat horas canonicas, quantumuis doctus sit, peccare eo ipso quod non attendat ad sensum verborum: quia cum certum sit, vt Medina ibid. bene ait, in talibus orationibus, nihil illicitum, aut ineptum contineri, orans satisfacit si in genere intendat petere à Deo q̄ in illis continetur; quantumuis ad contenta non attendat particulariter.

Addit idem Medina oranti, qui suo Marte orationem vocalem componit, & Deo offert, ad imprudentiam & indilcretionem vitandam necessarium esse tum ad verba, tum ad sensum verborum attendere, ne exponat se periculo offendendi Deum: quem orat, nec impetrandi quod ab eo petit: vnde oratio, & vana, & vituperabilis esset non minus, immo multo magis, quam sit supplicatio tali modo facta terreno principi: ita vt possit intelligi per illud animal de quo Malachia 1. Si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus.]

86. Quintum documentum, receptum communiter teste Nauarr. in sepe memorato cap. 13. num. 16. ad merendum, impetrandum, & satisfaciendum per orationem: non solum necessarium esse à principio illius habere propositum attendendi, & vacandi Deo: sed etiam non concipere aliud siue actuale, siue virtuale propositum non attendendi, per quod destruat prius conceptum. Vbi aduertit ex eodem authore, quod ille cœtatur actuale seu expressum non attendendi propositum concipere, qui proponit non attendere ad id quod recitat: vt vsu venit Hymnum aut Psalmum cantillandi tantum animi recreationisque gratiâ. Contingere item potest ei qui canit in choro, in quo non seruatur debita attentio & deuotio: ac etiam ei qui recitat cum domino, aut socio quem non intelligit siue balbutiens, siue anticipantem versum, aut verba synecopantem, siue defectum alium admittit: em: propter quem obligationi recitandi non satisfacit. Idem iudicium est de eo, qui cum prius recitauerit, aut cum iterum recitare statuat, attendere negligit, siue ab initio recitationis, siue postea in illius continuatione.

87. Ille autem solus & omnis censetur virtuale seu tacitum non attendendi propositum concipere, qui cogitationem habens occupatam in rebus à recitatione precum alienis;

seque de eis cogitare, atque inde à debita attentione averti deprehendens, non procurat mentem suam ab eadem cogitatione ad ipsam debitam attentionem reuocare. Censetur item ille qui deliberato animo occupat se in actionibus exterioribus, quæ eidem debite attentioni ita sunt contrariæ, spectata eius qui recitat habilitate, vt ipsa recitatione saluâ, nequeant exerceri. Cuius generis actiones sunt legere, aut scribere aliquid diuersum ab eo quod recitatur; surgere è lecto, seque indrere, aliudve externum opus facere valde festiuant: magna cum solitudine instruere focum, aut libros parare ad studendum, aut vacare alteri occupationi que mentem omnino ad se trahat.

89. De qua iudicandi certa regula vt in eodem cap. 13. num. 50. notat Nauar. dari non potest; ita vt debeat boni viri arbitrio relinqui. Cuius munus erit non tantum naturam operis exterioris, sed etiam illius modum & agentis habilitatem spectare: seu perpendere, non modo quod tale opus multum ad se mentem trahat, & ab aliis abstrahat, vt delectione & scriptione iam significatum est; aut contra, quod mentem parum occupatam teneat: vt quæ in exemplum Nauar. ibidem adfert: aempe ambulatio, aciditneris confectio siue ceditis, siue equitis: moderata (excepta ab omnibus innocenti sententia prout idem testatur, num. 48.) collectio huius, vel illius herbe, profectio in prata vel hortos: sed etiam ponderare modum exercitij operis. Quæ enim ante diximus festiuanter facta, aduersari attentioni recitationis: vt patet que eam valde diffisilem reddunt, si ipsa fiant cum moderatione; certum est, non ita aduersari attentioni, quin hæc recitando preces, sufficiens retineri simul possit. Item ponderare recitantis habilitatem retinendi, non obstanti tali occupatione, attentionem ad ea quæ recitat; in illam pro viribus incumbendo. Vbi aduerte occupationem illam isti attentioni de se non obitare, haberi per illud, quod apud Monachos Ægyptios, vt ex Casiano adfert ipse Nauar. in vlti facit vt externis operibus occupati, preces fuderent: quodque Pontifices, & alij Sacerdotes, dum sacris vestibus se induunt, certas preces dicere præcipiantur: atque in nonnullis religionibus (inquit idem in præced. nu. 47.) statutum sit, vt Religiosi inter surgendum horas Virginis pronuntient. Ex his autem multa pro praxi quotidiana colligi possunt: sed huic loco sufficere attigisse duo quæ habet adhuc Nauar. in eod. cap. num. 21. & 22.

90. Præter est, non censerique mutare propositum attendendi eo solo nomine quod non attendat; nisi aduertat se non attendere; aut aduertat quidem, sed procuret, saltem mediocriter, retrahere animum ab euagatione. Recepta enim est ab omnibus D. Thomæ sententia, inquit Nauar. quando animus in oratione vagatur, & distrahitur, si ad eum retrahendum magna aut saltem mediocriter diligentia adhibeatur, etiam si non sequatur retractio, euitari culpam mortalem & venialem, orationemque meritoriam esse & satisfactoriam. Quod si non adhibeatur saltem mediocriter diligentia, peccati saltem venialiter, & per consequens orationem non esse meritoriam, etiam si possit satisfactoria censeret hoc nomine, quod ipsa sefficiat ad vitandum peccatum quod illius omissione committeretur, transgrediendo præceptum humanum si quod esset de ea datum, vt cum est à Confessario in satisfationem imposita, aut iniuncta à Superiore.

91. Posterius est, communiter peccare, etiam mortaliter, eum quia actum exteriorem exercet, repugnantem omnibus tribus generibus attentionis ad orationem requisitæ, si illum deliberatè tam diu exerceat, quandiu recitat partem notabilem orationis obligatorie. Ratio est quia hoc perinde est, ac deliberatè nolle attendere, contra præceptum datum in cap. Dolentes. De celebr. Missarum. Moner autem Nauar. ideo dictum esse, communiter, quod talis interdum excusetur; nempe cum quid eiusmodi faciendi superuenerit necessitas, etiam recitanti cum aliis; dummodo tamen is proponat supplere postea, quod socij interea recitarint dum ipse aliud facit. Dicitur quoque esse, Deliberatè & quæ diu recitat partem notabilem: quoniam qui tale quid ageret non cogitans quid agat, aut ageret solum dum socij recitant vnum aut alterum versum, defectus non esset mortalis; quia inconsideratio & rei paruitas à peccato, saltem mortali, excusant. Sextum documentum est; ad diuagationes siue ex-

imbecillitate nostra, siue ex arte Demonis, siue ex sollicitudine rerum agendarum, siue ex gestarum memoria proueniunt, cum Dei auxilio cohibendas sequentia inuare posse.

Primum est; si vt patet, nobile & amplum mentis altè infideat, certum que habeatur iudicium de dignitate ipsius orationis: vt patet quæ est. Tum cæleste Sanctorum munus & officium ex Apoc. cap. 5. vers. 8. & cap. 8. vers. 3. & 4. Tum colloquium cum Deo: nobis, qui pulvis & cinis sumus, tanta diuinæ misericordiæ largitate & benignitate concessum, vt præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audeamus dicere, Pater noster qui es in cælis. Tum etiam in iis quibus premimur multis ac variis necessitatibus, & infirmitatibus, tam animæ quam corporis, tutissimum præsidij subsidium que præsentissimum; vt Dominus noster satis indicauit, ostendens pro illis ad paternam Dei prouidentiam recurrendum nobis esse: cum docuit in oratione petendum, vt regnum cælorum, sic & panem nostrum quotidianum: ad quem nobis comparandum (sicut nec ad regnum ipsum cælorum) non sumus ex nobis sufficientes iuxta illud Aggæi 1. Ponticorda vestra super vias vestras, semina stis multum, & in utilitatis parum; comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti; & qui merces congregauit misit eas in sacculum pertusum. Neutrum autem rectè petenti Pater omnipotens denegat, qui pro infinita sua bonitate plus etiam vult dare, quam nos accipere: & plus paratus est nostri misereri quam nos à miseria liberari: vt patet ex parabola de Samaritano, & eo qui incidit in latrones, cap. 10. D. Lucae.

Secundum quod ad euagationes cohibendas inuare poterit, est executio absoluta eorum quæ de præparationibus diximus antea, num. 77. & 78.

Tertium est, sedula diligentia quæ excitat timore Dei, ad uigilemus, ne eas se ingerentes admittamus; sed contentiamus implorato Angeli euntodis auxilio, cum fiducia in ipsius paternæ nostræ cura, ac repressa sensuum nimia licentiâ, relectaque in Dei prouidentiam pro eo tempore, cura omni & sollicitudine paulò vehementiori, quorum cum que negotiorum nostrorum.

Quartum est ad Dei præsentiam mentis intuitum conuertere; ipsum que considerare nos recipientem ac studiose ad orandum sicut oportet, adiuuante iuxta illud ad Rom. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam vt oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Quintum est, nostra cooperatio in continenda cogitatione per custodiam sensuum, ne hiallenis occupentur, & ceterarum animi virium recollectionem seu reuocationem, si effugerint. Quod quidem est ex præcepto Domini Matth. 6. intra e in cubiculum, & clauso ostio orare.]

Sextum est, humillitas concepta de nostra infirmitate & miseria ex vna parte: & ex altera, de Dei infinita maiestate, & immensa erga nos misericordia; qua nos tam viles, conspectuque suo indignos admittit ad se orandum. Sic enim illam, quam humilibus lat Deus, gratiam merebimur, qua suffulsi oremus cum animi quiete, repressis euagationibus. Quæ si nihilominus perseuerent & pergant molestæ esse, existimandum est id fieri ad nostram vilitatem; nempe vt imbecillitatem nostram ob oculos positam plenè sentiamus, & aperius diuinam bonitatem cognoscamus, cum tanta patientia permittentem nos indignos in ipsius conspectu versari. Humillimus nos igitur coram eo qui respicit in orationem humilium: bene sperando quod pro infinita sua bonitate nobis aderit, suppeditando vires quibus etiam ex diuagationibus ipsis quæ situm faciamus, ex quibus timemus tacturam.

De obiecto debito orationis.

SECTIO VI.

Sextum ad orationis bonitatem requisitum; est obiectum debitum; quodnam autem ipsum sit, satis significatur, cum oratio definitur petitio decentium à Deo; nempe esse id omne quod honestè & rationabiliter à Deo peti potest. Cuius, vt bene no. ar Azor in 1. par. Moral. institut. libro 9. capite 35. quest. 2. duo prima genera distingui possunt: vnum ad eorum boni, & alterum de pulsione mali. Bonum autem quod

quod à Deo peti honestè potest, vel est simpliciter & absolute bonum, vel quadam tantum ex parte: quorum istud, admittit & bonum, & malum usum; illud verò, tantummodo bonum usum.

Iam simpliciter & absolute bona esse censentur; peccatorum venia, vita æterna, fides, spes, charitas, diuina gratia, virtutes morum, & Spiritus sancti dona, quæ charitatem confirmantur. Bona verò non absolute, sed quadam ex parte censentur esse: tum quadam supernaturalia dona iustis & peccatoribus communia, vt gratia gratis data: puta donum linguarum, interpretatio sermonum, gratia sanctorum: tum plurima naturalia; siue interna animi vel corporis, cuiusmodi sunt: ingenij perspicacitas, artes, & disciplina; agilitas, robur, sanitas, pulchritudo; siue etiam externa vt sunt amicitia, opes, liberi, magistratus, dignitates, honores, potentia, principatus, gratia principum, & id genus alia.

Atque bona prioris generis absolute peti possunt in oratione: sicut in oratione Dominica petuntur. Tum diuini nominis sanctificatio & gloria per illud. Sanctificetur nomen tuum: tum gratia necessaria ad faciendam à nobis voluntatè ipsius in terris, sicut à beatis fit in cælis: per illud, Fiat voluntas tua: tum demum executio paternæ curæ, quam gerit nostris: per illud, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Bona verò posterioris generis petere quidem licet, sed non absolute; verum conditione expressè vel tacitè adhibita, quatenus sunt vilia, aut necessaria ad consequenda ea quæ sunt absolute bona. Huius rationis petendi sub conditione, Christus *Matth. 26.* exemplum dedit, cum petens vt à se calix passionis transiret, rem totam reiecit in Patris voluntatem dicens: Non mea sed tua voluntas fiat.

Itaque tenenda est regula quam ex D. August. Nauarr. in *tract. de oratione, cap. 19. num. 162.* communiter receptam attingit: ne nos sanctè petere possè à Deo bona temporalia, tum in genere, tum in specie; non quidem propter se & tanquam finem: sed propter aliud, & tanquam in instrumenta, atque auxilium transigendi vitam temporalem, & merendi vitam æternam: à diecæta tacitè vel expressè conditione, si placuerit suæ maiestati.

At verò alicui videri potest non esse licitam temporalium petitionem à Deo; cum Christus *Matth. 6.* prohibeat ne solliciti simus dicentes: Quod nec bibemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Rationem addens, hæc enim omnia gètes inquirunt; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Ad quod dicendum est non prohiberi illic bonorum temporalium petitionem à Deo, sed nimiam & anxiam de illis sollicitudinem quæ perturbat animum; & viam munit ad fraudes, dolos, aliaque peccata, ad quæ procliuus est; qui nimis sollicitè opibus congerendis studet. Et si autem Deus, nec petentibus nobis, sciat quibus egeamus, & pro immensa bonitate sua det ea nonnumquam (*quomodo enim alioqui subsisterent qui nullam penè habent orationis usum*) vult tamen nos orare, dicente Domino *Lucæ 11. Petite & dabitur vobis*: & vt mereamur accipere quod ante secula disposuit dare nobis; & vt discamus ad ipsum recurrere, eumque bonorum nostrorum auctorem recognoscere. Sic Angelus Raphael Tobie sexto, quamuis sciret Deum constituisse iuniorum Tobiam & Saram futuram vxorem ipsius, liberare à Dæmonio, quod seipsum et iusdem Sara viros necauerat; monet tamen illos, vt per tres dies continendo se à coniugio, nihil aliud nisi orationibus vacent.

Porro vt bonum, sic malum, quoddam est absolute, & quoddam aliqua tantum ex parte. Absolute omninoque malum, est peccatum: quædam ex parte verò malum est, pœna vnde cum que tandem illa fit, & proueniat, siue ex peccato sequatur, siue à Deo interrogetur, siue à dæmonibus, vel ab hominibus infligatur. Illius depulsionè in oratione possumus simpliciter à Deo petere: sicut facimus in oratione Dominica petentes nobis debita nostra dimitti, nec induci in tentationem, sed à malo liberari. Huius verò depulsionem petere tantum conditionaliter, Christi exemplo cuius ante meminimus.

Duo his addit Azor. in *seq. qu. 3. & 4.* Prius est: quod licitè est optare, licitum quoque esse ipsum à Deo petere sub ea conditione qua est licitum. Sic (*inquit ille*) qui bene sibi conscius, timet ne de eo securæ mentis statu decidat, non peccat

si cum D. Paulo ad Philip. i. cupiat, & à Deo petat dissolui, & esse cum Christo; nec item peccat, qui Christianæ religionis hostem multa damna inferentem, à Deo petat vel emendari, vel si non sit emendationis spes, de medio tolli, ne amplius noceat.

Posterius est multa orando interdum recitari, in quibus nullum est verbum, quod ad petitionem nostram facere videatur: vt cum petentes remissionem peccatorum nostrorum, recitamus *Psalm. 2.* Quare fremuerunt gentes; aut alium similem: idque excusari, quia non ideo recitantur quod contineant illud quod cupimus & petimus: sed quod nos bene afficiant erga Deum: continent enim laudes Dei, aliaque similia, quibus exci amur ad affectum diuini timoris, & amoris; vel ad sensum propriæ infirmitatis, quibus promouemur ad humilitatem, aut ad alterius virtutis Deo gratæ studium: vnde fit vt petamus ardentius, citiusque impetremus quod cupimus.

De fine debito orationis.

SECTIO VLTIMA.

Septimum requiritur ad bonam orationem est debitus finis; qualis est æterna nostra salus ante omnia à nobis querenda (*vt nobis Dominus præscripsit Matth. 6.*) tanquam finis nimirum, in quem cõditi sumus: sunt item cætera quatenus ad illam conducunt, ac sunt media illius consequendæ. Eorum autè constitutum duo genera: vnum absolute bonorum, & alterum bonorum quædam ex parte, quæ non de se, vt illa alia: sed ordinatione tantum orantis ad æternam salutem referuntur, tanquam media ad finem; ex qua ordinatione, non autem de se, bona sunt vel mala moraliter. Vnde intelligitur quod peccatum nequeat esse debitus orationis finis, ne quidem secundarius, cum ei repugnet medium esse consequendæ salutis: proindeque ex Nauarr. in *tract. de oratione, cap. 6. nu. 2. 3. & 4.* oratio mala est, quam affectus iniuriæ facit, vt impetret à Deo opem ad vindictam faciendam propriâ autoritate; aut ad vincendum in duello; aut quam facit ne cadat causa litigis iniuste, aut vt possit puella potiri extra matrimonium, aut vt impetret victoriam pro Principe bellum iniustum gerente, vel impletionem quorumque prauorum desideriorum siue propriorum siue alienorum.

Intelligitur etiam quod nec bonum honorarium hoc est, humana laus honor, fauor vel gloria; debitus finis orationis esse possit, cum fuerit vanus. Et confirmatur quia vitiat in fructuosamque reddit orationem: vt constat ex *Pharisæo orante Luc. 18.* & ex verbis illis Domini *Matth. 6.* Cum oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum orare, vt ab hominibus videantur. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Vnde patet orationem eam malam esse ex indebito fine, quâ aliquid alioqui non malum, à Deo petitur ob honorem, & gloriam vanam; seu quod idem est, vt quis vanè honoretur, laudetur & æstimetur. Id quod Nauarrus consequenter nu. 10. notat. Inde inferes non mereri, sed peccare eos qui preces aliquas recitant & Deum obnixè rogant, vt largiatur ipsis ingenium, memoriam, vocem claram eloquentiæ coniunctam, & artium liberalium allarumque doctrinarum scientiam, vt sibi quaerant honorem vanum, & vanam laudem in scholis, pulpitis, & auditoriis. Peccare similiter eos qui à Deo in oratione petunt, artis militaris scientiâ cum robore, & strenuitate ad consequendum honorem vanum per aliquod militare facinus egregium: Quod idem est iudicium de multis aliis, in quibus cum tale desiderium fuerit mortaliter malum (*quod indicandum est ex circumstantiis, præsertim ex fine in quem ipsum fertur*) erit & oratio mortaliter mala: alias verò mala solum venialiter: quod etiam consequenter nu. 11. monet Nauarr. Addens pari ratione; cum bonum honorarium non fuerit vanum, orationem qua petitur non esse peccatum: sicut nec desiderium quo expetitur.

Cæterum in tribus casibus bonum honorarium censetur vanum, vt ex D. Thomæ. D. Anton. & Abul. habet in *seq. num. 35. idem Nauarrus.* Primus est quando tale quid, nempe laus, honor, vel gloria, cupitur de rebus quæ non habentur: vel capitur maius, quam ipsæ res mereantur. Secundus quando capitur pro maiori vel certiori testimonio virtutis, quam debitum sit. Tertius quando nec actualiter, nec virtualiter refertur in finem debitum.

101.

Qui finis, ut ille addit num. 36. est, primò Dei gloria. Secundò, spirituale bonum siue proprium, siue proximi; ut cum laus, honor, fama, vel gloria queritur ad maiorem commoditatem seruiendi Deo, & viuendi ex virtute; ac procurandi salutem proximi. Tertio, bonum temporale sibi aut proximo vile: ut cum quis laudari desiderat pro meritis (nec plus) de arte ac dextertate docendi, prælegendi, canendi, patrocinandi, ut iustam aliquam conditionem ac salarium idoneum consequatur: vel cupit de donis sibi Deo concessis laudari, vel suspici, ut ea de causa aliquibus suis parentibus vel amicis de bono aliquo temporali, quo digni sunt, prouideatur.

Vbi tamen aduerte bona temporalia, cum moraliter non sint ex se bona, sed tantummodo habere rationem finis secundarij, seu ordinati ad vltiorem finem de se bonum: ideoque bonum temporale proprium, vel proximi, tunc demum posse esse aptum finem recti desiderij laudis & gloriae, quando ipsum, vel actualiter & expressè; vel virtualiter & tactè ordinatur in obsequium Dei: vel in vitam secundum rectam rationem, & ex virtute agendam. Quæ vita de se quoque bona est, tanquam conformis diuinæ voluntati, cuius nobis recta ratio interpret est & quasi præceptor, consequenterque apta est de se, ad æternam salutem referri, concurrente habitu gratiæ gratum facientis, quem admodum ex D. Thoma, Caiet. & Maiore notat Nauarrus in præceden. numero 14.

102.

Porro quando ordinetur actualiter, de se patere potest, quando videtur virtualiter, idem ibidem adhuc notat, ex D. Bonauent. & Gabriele, cognosci ex eo, quod si tale quid appetens, & petens, interrogaretur cur appetat, & petat, respondebit appetere, & petere ob Dei obsequium, vel ad vitam ex virtute & secundum Deum agendam. Quod vsu venire potest maxime ei, qui generaliter omnia sua opera retulit in obsequium Dei, quando religiosum, vel aliud pium vitæ institutum suscepit, nec postea aliam contrariam intentionem habuit.

103.

Ex hac autem doctrina colliguntur multa pro praxi quotidiana quæ in eodem cap. 6. à numero 12. Nauarr. persequitur. Tria attingere sufficit ex quibus facile fuerit de alijs iudicare. Primum est, orationem cuius finis primarius constituitur lucratio quotidianarum distributionum, aut aliquorum fructuum, vel reddituum, malum esse ex indebito fine, ideoque taliter orantem peccare. Secundum est, pari ratione peccare eum qui recitat vel canit horas in choro, responsoria in cæmeterio, Missas in altari, non ob Deum sed solum ob stipendium quod ideo datur: aut certe ob Deum quidem, sed magis aut æquè ob stipendium: quia finis eius principalis totus, aut ex parte est bonum temporale, & ideo indebitus per ante dicta. Tertium est, prædicta faciem plus ob Deum, quam ob lucrum: etiam si non faceret, nisi lucrum ipsum speraret, non peccare: quia bonum opus facere minus principaliter propter Deum; non est illicitum quando principaliter fit propter Deum, qui est debitus finis primarius omnium bonorum operum. Ad cognoscendum autem num quis plus, aut æquè ob lucrum quam ob Deum bonum opus faciat, debet ex eodem Nauarro ibidem, num. 16. apud se expendere, an pluri vel tanti æstimet lucrum, quam Deum in ordine ad illud opus. Si enim plus aut tantum ad illud exequendum moueat æstimatione, & amore lucri, quam Dei; lucrum censeri debet finis illius principalis totalis, aut partialis, atque adeo opus ipsius vitari ex indebito fine.

## CAPVT VNDECIMVM.

De vsu debito orationis.

SVM MARIVM.

104. Exercitatio memoriae, intellectus, &amp; voluntatis in vsu orationis mentalis.

105. Error eorum qui in mentali oratione impensius elaborant ut sublimes, nec vulgares considerationes habeant, quam vt voluntatem ad aliquem salutarem affectum promoueant.

106. Ratio considerandi seruandam in mentali oratione; ac primò vniuersè.

107. Deinde in particulari.

108. Coniungenda exercitatio voluntatis cum exercitatione intellectus, &amp; quomodo.

109. Exemplum talis coniunctionis in via purgatiua.

110. Aliud in via illuminatiua.

111. Item aliud in via perfectiua.

112. Requisita ad debitum vsum orationis vocalis.

113. Externa dispositio corporis requisita.

114. Interna dispositio anime item requisita.

115. Vsus ejaculatoriarum orationum.

116. Explicatio orationis Dominice quoad passionem Patris nostri qui est in caelis.

117. Quoad primam &amp; secundam petitionem.

118. Quoad tertiam &amp; quartam.

119. Quoad quintam.

120. Quoad reliquas.

121. Appendix de recitatione Rosarij.

Debitum orationis vsum ex interna Spiritus sancti virtute, non ex humana eruditione pendere, significatur per illud ad Rom. 8. Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Non ideo tamen damnandi sunt, qui salutaria de eo tradunt documenta conformia rectæ rationi, comprobataque vsu, & experientia virorum piorum. Quoniam autem passim obuii sunt libri talia continentes, paucis tantum notabilibus de vsu mentalis orationis ipsum constare exercitatione potentialium rationalium: nempe memoriæ, intellectus & voluntatis: non quidem vnus tantum vel alterius earum formam, sed omnium trium simul.

Trium rationalium facultatum exercitatio in mentali oratione.

## SECTIO I.

Mentalis oratio requirit memoriæ exercitationem, quæ res pertractanda quasi in medium producat, & clarè apprehendatur: exercitationem verò intellectus, requirit ad rem ipsam propositam ruminandam accommodatè ad excitandum fouendumque in voluntatè nostra salutarem aliquem effectum. Exercitationem denique voluntatis, ad insistendum tali affectui, illum eliciendo promouendoque. Quia verò finis exercitationis intellectus est clare voluntatis affectum: eatenus in vsu memoriæ immorandum est, quatenus exigit vsus intellectus: & in hoc, quatenus exigit vsus voluntatis.

Vnde tria sequuntur. Primum est, in oratione parum laboris esse in vsu memoriæ, cum hic sit tantum proferendi in medium, clarèque apprehendendi rem tractandam, quæ prius delecta fuerit, & distincta in certa puncta, sufficienter memoriæ ipsi commendata in preparatione quam supra numero 78. diximus ad mentalem orationem requiri.

Secundum est, in vsu intellectus, non tam esse persequenda ea, quæ ipsum sua nouitate, singularitate, & præstantiâ paciscent, quam quæ voluntatem ad sanctum ac salutarem aliquem affectum moueant ac roborent. Is enim est considerationis finis in mentali oratione, non autem scientiæ abundantia.

Tertium est, insistendum esse potissimum in vsu voluntatis: cumque is bene successerit in vnus puncti consideratione longiore, non esse ab ea desistendum, vt aliorum considerationi sit locus: quia habito fine per vnum medium, non est opus ad alia diuertere: tum ne forte id non bene succedat: tum ne bonus Spiritus sancti motus interrumpatur, quod iniuriosum ei esse censeretur.

Ex qua doctrina intelligi potest illos errare, qui mentali orationi operam dantes diutius & impensius elaborant in curiosa rei propositæ consideratione per sublimes quasdam, & minime vulgares notiones, quam in voluntatis per motionem ad aliquem sanctum affectum. Inde enim fit, vt interdum quidem sentiant aliquam suauitatem (quæ est quidam scientiæ gustus, qualem interdum contingit experiri speculantes sciendi tantum gratiâ) sed meditatione absoluta, nihilo magis inueniuntur humiles, patientes, obediens, aut prompti ad labores perferendos pro Christi gloria: aut pro sua, vel proximorum salute. Immo verò, ex nascente inde sui æstimatione, effecti potius proprii iudicij tenaces sibi que placentes, auerantur labores externos, & zelum animarum tanquam Spiritus impedimenta, diminuentia prædictæ suauitatis sensum.

Ad

Ad quorum errorem redarguendum facit, quod homines rudes, quamvis non sint ad tales speculationes idonei, non desinant esse capaces mentalis orationis, quā cum magno pietatis sensu, ac spiritali fructu, considerant nostrae religionis mysteria, vitiōrum turpitudinem & dignitatem virtutum. Facit etiam quod ex D. Thoma. 2. 2. *quest. 83. art. 1.* Oratio sit actus rationis practicae, ideoque finem habeat opus: nempe emendationem & perfectionem propriam: quarum illa requirit repressionem perturbationum animi, fugam vitiōrum, & perfectionem virtutum: haec vero coniunctionem cum Deo per veram charitatem, quae est vinculum perfectionis ad *Coloss. 3. vers. 14.* Et requirit Deum & proximum diligere, non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate ] *1. Ioan. 3. vers. 18.* procurando scilicet exequendoque data opportunitate, illa quae sunt ad Dei gloriam & proximorum salutem. Ad tanti operis autem executionem requiritur consensus voluntatis, auerfantis vitia, & virtutes desiderantis: Deumque super omnia amatis, & proximum sicut se, propter Deum. Unde ad affectus eiusmodi in voluntate excitandos vniuersa consideratio intellectus dirigenda est, tota que intentione tendendam est eō in oratione mentali: prout satis indicant de ea tractantes: cum illius institutendae rationem tradunt secundum triplicem viam; purgatiuam, illuminatiuam, & perfectiuam: quod mirabili compendio & artificio facit D. Bonauent. in tractatu quem inscripsit *Incendium amoris*: secundum viam enim purgatiuam instituitur, cum consideratio dirigitur ad affectus voluntatis, accommodatos eliminandis ab anima vitiis & peccatis: secundum illuminatiuam verō, cum dirigitur ad affectus accommodatos inferendis in anima virtutibus: secundum perfectiuam denique, cum dirigitur ad Dei, & proximi verum amorem in anima suscitandum ac fouendum: quod prompti & alacres reddamur ad bonorum operum executionem.

Ratio exercendi intellectum in mentali oratione.

SECTIO II.

106. Merito querat aliquis. Quanam igitur ratio, considerandi seruari debeat in oratione mentali? Cui respondendum videtur, posse in genere dici congruenter ante traditis, eam seruandam esse ex qua salutaris motus voluntatis sequatur: neque vim esse inferendam naturae; qui enim sunt feliciore ingenio, ita ut difficultatem non pariantur in habendis subtilibus, minimaeque vulgaribus notionibus de re ad meditandum proposita, aut in diu protrahenda circa idem punctum commentatione, obsequi possunt suae naturae: dum modo sequatur quaesitus affectus voluntatis. Similiter qui tardiores sunt ingenio & hebetiores, non est quod vim inferant naturae illudque attentent, quod experirentur nimis graue; nempe sublimis efformare notionem, aut diu in eis continuare eiusdem rei considerationem: sed possunt secundum suam capacitatem meditationis tempus traducere etiam variando notionem intellectus, & affectus voluntatis, in praeparata punctorum meditandorum varietate.

107. In particulari autem de ratione considerandi seruanda in meditatione dici potest: si materia meditationis sit aliquod nostrae religionis mysterium, seu historia aliqua sacra; esse considerandas tum actiones (in quibus serē consistit mysterij summa) tum etiam verba, ac personas: atque in actionibus attendere licebit, tam ea quae ipsis insunt, vt naturam & partes: quam quae adiuncta sunt, vt locum, & tempus in quibus: modos & auxilia, quibus: & cause propter quas factae sunt: ponderando magnitudinem amoris pietatis, & misericordiae Dei erga nos; tam abunde per Christum confertis nobis omnia ad salutem necessaria. In verbis autem licebit attendere latentem in eis sensum: ad mores & usum, non autem ad scientiam, referendo; finem etiam in quem dicta sunt, & quae vitae praecipua contineant, aliaque id genus. In personis denique licebit attendere tum corporis debitam compositionem, tum animi dotes, & affectiones: secundum ea praesertim, quae fuerint accommodata negotio quod meditatur.

Si verō materia meditationis sit diuinum beneficium in homines: aut anima uersio seu punitio; considerandae sunt illae communes circumstantiae:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Si verō sit virtus, & ei oppositum vitium, consideranda est illius honestas, vtilitas ac necessitas, ac data à Christo, & Sanctis exempli illius, itemque proprii actus eiusdem, atque acquirendae modus & ratio. Huius verō tum turpitudinis, prauitas, & grauitas, ex eo quod sit Dei offensa: tum etiam detrimenta quae nobis adfert: tum demum remedia ad illud euitandum vsurpanda.

De coniungenda exercitatione voluntatis cum exercitatione intellectus.

SECTIO III.

108. Cū omnis consideratio intellectus in mentali oratione ad motionem voluntatis ordinetur iuxta ante dicta; oportet per totam mediationem, actus voluntatis sparsos esse cum actibus intellectus: sic vt quaecumque intellectus inuenit, proponenda sint voluntati vt moueatur ad aliquem tali propositioni consentaneum affectum salutarē, quo prompti & fortes reddamur ad vitium aliquod extirpandum, vel virtutem aliquam inferendam, vel aliquē pro Christo laborem ferendum, siue in agendo aliquid bonum, siue in patiēdo aliquid malum. Eidem autem propositioni ad magis efficiendam voluntatem erga rem propositam, & vehementius impellendam, septem actus adiungi possunt. Primus est petitio. Secundus obsecratio. Tertius desiderium. Quartus, reprehensio, seu obiurgatio sui ipsius. Quintus, admiratio. Sextus, interrogatio. Septimus, resolutio.

109. Itaque in via purgatiua, diligenter cogitanda, & voluntati proposita turpitudine peccati, cum detriuentis quae adfert, ad dolendum de eo, potest voluntas ipsa vehementius virgeri. Primò, humili petitione facta Deo, vt pro infinita sua misericordia det gratiam qua rebellis voluntas nostra ad ipsum conuertatur: de eius offensa, vt par est, summe doleat. Secundò, obsecratione, qua ipsius infinitam bonitatem obtestemur per Iesu Christi Domini nostri sanguinem, vt nostram petitionem exaudire dignetur. Tertio, desiderio rei nobis tam necessariae, quam est dolor de peccatis nostris, sine quo ab eis liberari non possumus. Quarto, reprehensione nostri. Quid agis anima mea, quid de te fiet? ve è misera es parui faciens diuinæ maiestatis offensam & iram. Quinto, admiratione, quanta Dei bonitas, quanta mea nequitia? Illa Deus tantae maiestatis, ad obsequium omni iure sibi debitum, beneficiis praeteritis, praesentibus, & futuris innumeras me prouocat, & ad se vocat. Ego verò abiectissimum indignissimumque (hei mihi) mancipium, illi impudenter audeo obistere, & me ab eo auertere. Quid igitur superest renuenti dolere de tanta nequitia, quam aeterna miseria, dilata ex sola tanti Domini misericordia iuxta illud *Threnorum tertio* Misericordia Domini quia non sumus consumpti. ] Sextò, interrogatione. Quid mihi est in caelo, & à Deo meo quid volui super te? vbi mihi melius quam apud meum caelestem Patrem amantissimum. At peccatum me ab illo separat & excludit. Septimò, resolutione. Sit igitur constitutum ab anima mea, de peccato meo dolere, sicut requiritur ad illius remissionem: illudque ita auerfari deinceps, vt potius mihi moriendum sit quam ei denuo consentire.

110. Similiter in via illuminatiua, virtutis (vt *humilitatis*), dignitate, necessitate, exemplis aliisque perceptis, & propositis voluntati, haec ad illam appetendam vehementius virgeri potest. Primò, ex intimo corde petendo illam à Deo. Secundò, obsecrando per mortem crucis, ad quam se Christus Dominus pro nobis humiliavit, vt dignetur amator humilium, petitionem nostram exaudire. Tertio, desiderando vt virtus ea, qua Christus vult suos milites esse insignitos, iaciat radices in anima nostra, & stirpis ab ea euellatur contraria superbia, Daemonis insigne. Quarto, reprehendendo nos ipsos qui cum simus peccatores miseri, aeternae damnationis feces, in cineres redigendi, andeamus superbitate coram omnipotente omnium Domino: quem superbis resistere sacrae Scripturae tam aperte inculcant. Quintò, admirando qui fieri possit vt ego tam vilis, totque miseris obnoxius, superbia inflatus asperner humilitatem, adeo gratam diuinæ maiestatis, & maximorum bonorum fontem vberissimum. Sextò, interrogando me ipsum. Quid habes quod non accepisti, vt inde glorieris? nonne tua omnia Dei dona sunt, de quibus

gloriano offendis ipsum, & iam ipse in te prouocas, rediturus de tali abusu formidabilem rationem. Denique resoluendo tam Deo gratæ, & fructuosæ virtutis acquisitioni insistendum tibi esse. Ad quod perpenis illis, quæ possunt nobis ad id conducere aut impedimentum adferre, implorandum est diuinum auxilium: quandoquidem non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.] *sicut admonet apostolus in priori ad Corinth. cap. 3.*

111. Denique in via perfectiua, voluntati propofita diuini amoris dignitate, & summa necessitate ad salutem: primò illum petemus à Deo, cuius præcipuum donum est. Secundò, obsecrabimus, vt per meritum passionis Christi quæ is per tulit, vt in cordibus nostris talem amorem accenderet extincto amore proprio, dignetur suo sancto Spiritu ad illam nos inflammare. Tertio excitabimus, excitatumque proponemus Deo, vehemens desiderium amandi ipsum super omnia: dicendo cum Dauide *Psalms. 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Quarto, ad nos ipsos quasi conuersi, fœcordiam nostram, incuriam, & torporem in procurando tallamorem acriter reprehendimus. Quintò, in altam, vt sic dicam, nostri admirationem intrabimus, quod tam serò, tamque oscitanter studium, & operam posuerimus in prosecutione tanti boni. Sextò, nos ipsos interrogabimus. Quid potest anima mea tibi melius esse Dei amore? Quid potest sine eo tibi prodesse, quid cum eo non est summè vtile: certe factus ex eo calix aquæ frigidæ, mercedem habet regni cœlestis *ex D. Matth. cap. 10. in fine.* Postremò, variis incitamentis voluntatem iam propendētem confirmabimus, proponendo occasiones, & nomina mandandi Deum; quod nihil eo sit vtilius, iucundius ac homine dignius. In mysteriis passionis Domini contemplandis (quæ sunt præcipua mentalis orationis materia) septem solent assignari affectus excitandi in voluntate; commiseratio, compunctio, imitatio, gratiarum actio, admiratio, spes & amor. De quibus accommodare ad vsum, præclare tum P. Franciscus Arlas in tract. de orat. par. 2. tum P. Ludonicus de Ponte in introductione ad meditationem: qui legendi sunt.

De vso debito orationis vocalis.

#### SECTIO IV.

112. **A**d debitum vsum orationis vocalis, primò, ante quam ad eam accedatur, colligendæ sunt vires animæ seculis aliis curis, quæ distractionem efficiere possunt: quæ de re antea num. 77. Deinde intentio dirigenda, seu statuedus ac proponendus debitus finis, puræ Dei gloriæ: siue vt Deum creatorem, gubernatorem, principium & finem vniuersorum recognoscamus, adoremus, magnificemus, atque glorificemus sicut æquissimum est. Item honor beate Virginis, Angelorum, ac reliquorum Sanctorum omnium, & nominatim eorum quorum memoria celebratur. Itemque vtilitas propria & proximorum, adeoque totius Ecclesiæ: spectatim autem in Principum, & bene meritum, ac defunctorum omnium in purgatorio deventorum: ac denique viuorum, quos vel peccatum obstringit, vt ab eo reluentur; vel calamitas vrgēt vt ab ea releuentur, conseruanturque conducentia ad æternam salutem. Quæ intentio quo maiorem vim habeat, coniungenda est cum ea, quam purissimam Christus habuit agens in terris, & habent omnes Sancti orantes, & laudantes Deum. Tertio, consideranda est Dei præsentia, vt tantam maiestatem intima etiam quæque spectantem, reuerentur tremebundum: rei item quæ tractatur dignitas consideranda est, implorandaque diuina gratia versandi attentè, piè, & deuotè, prout Dei gloria & nostra ac proximorum vtilitas exigat, in negotio tanti momenti. Quarto, concipienda ex Dei promissis spes accipiendi quod petimus dignè petentes; ad quod implorabimus quoque diuinum auxilium.

113. Quintò, inter recitandum, procuranda est tum externa corporis, tum interna animi compositio. Ad illam pertinet custodia sensuum omnium, & decens dispositio membrorum, non tantum ne alij qui interfunt offendantur, sed etiam ne menti deur occasio euagandi. Pertinet quoque locus ad attentionem & recollectionem accommodatus: tempus item opportunum, ne contingat tam nobile ministerium inter-

rumpi negotiis importunis, aut leuisione vel gettu aliquo intemptiuo. Pertinet denique vt pronuntiatio sit clara & distincta (verbis scilicet neque multatis, neque confusis) remperata & sine nimia festinatione, intelligentiæque accommodata; modesta item, & sine affectatione ac furo, nihil prophanum redolens, sed præ se ferens in omnibus sanctitatem.

Ad internam autem compositionem pertinet primò, vltimè innocentiæ, morumque integritas, quæ præditum esse conuenit eum qui apparet coram Deo, ad ipsum precandum verbis ab ipso præscriptis, vel ipso approbata, ab Ecclesiâ. Deinde attentio, & deuotio, cum quibus præces consuetæ simpliciter humiliterque recitentur consilio animoque petendi à Deo id quod ipse vel Ecclesiæ institutione, per illas significatur. Illarum enim vis posita est in diuina benignitate, & in eiusmodi institutione, non in aliquo sensu à nobis mente concepto. Vnde & idiotæ illarum fructum capere possunt, cogitando Deum præsentem sibi adesse, seque recitantem audire, atque se Christo Domino, ac reliquo beatorum cœtui in canendis diuinis laudibus adiunctos esse, si et verborum sensum non capiunt; sed tantum iuxta Ecclesiæ institutionem recitare intendunt, ad eum finem qui antè dictus est: etiam meditando, si placet, pium aliquod (præsertim de vita aut morte Christi: cum non ex nostris, sed ex ipsius meritis nos impetraturos à Deo quod petimus; sperare debeamus) ne ad alieud, à Deo cogitationes mens euagetur, & voluntas præparetur à aliquos salutare motus, & afflatus diuinos suscipiendos.

Meminerimus tandem præter statutam certis temporibus orationem expedire, breuius sed frequentius, vt mentis eleuationibus, inculcatorias orationes vocant, in reliquo temporis decursu, quæcumque nos negotia exerceamus: quæ orationes siue solo animo siue et iam voce fiant, negotia ipsa non modò non impediunt, nec retardant; sed multum promouebunt Domino vbique nobis cooperante.

Explicatio Orationis Dominicæ.

#### SECTIO VLTIMA

114. **C**um oratio Dominica ore Christi nobis tradita, altarum omnium præstantissimum exemplar censeatur, illius explicationem oportet consequenter persequi: nisi passim occurrerent catholici in quibus continetur, amplissima etiam nonnunquam; vt in eo qui ad parochos editus est in Concilio Tridentini: cum qua qui uolet conferret eam quam habent ex Patribus collectam Bellarminus. in *controversia De bonis operibus lib. 1. cap. 6. Az. or. in 1. part. Moral. institut. lib. 9. capite vltimo.* & Gregor. à Valent. 2. 2. *assur. 6. quæst. 2.* Adde & eam, vt de ceteris taceam, quam habet Abulen. ad c. 6. *D. Matth. à quæst. 102.*

Veruntamen pro illius salutaris vsu, quædam memorie retinenda, pauca attingere oportet præter præteritum. Primum est, præfationem illam [Pater noster qui es in cœlis] admonere nos, tum nostræ adoptionis cœlestis, tum nostræ peregrinationis terrenæ, vt simul intelligamus nos auxilio egere, quia peregrini sumus; & debere fiduciam accipiendi concipere, quia filij Dei sumus. Itemque per eamdem excitare nos ad Dei timorem, & amorem (qui vterque affectus, est optima anima dispositio ad orationem. Ad amorem quidem, cum ostendat tantam esse Dei bonitatem, vt dignetur pater appellari à vtilissimis seruis. Ad timorem vero, cum ostendat tantam eiusdem excellentiam & potentiam esse, vt in celo tanquàm altissimo solio sedens, terrena simul ac cœlestia moderetur: adeo vt amandus sit tanquàm optimus, & timendus tanquàm maximus. Secundum est, ex septem petitionibus, quæ eidem præfationi subiunguntur, duas primas pertinere ad finem vltimum, in quem conditi sumus, & vitam dirigere debemus: reliquas vero quinque ad media conducentia ad eundem finem: & idè à nobis in hac vita magno studio amplectenda.

115. Tertium est, primam petitionem, *Sanctificet nomen tuum*, pertinere ad finem nostrum vltimum: quia is est Deus, cuius nomen sanctificari petimus seu maiestatem sanctam esse: non quidem in se, quia non est opus id petere, cum non possit aliter habere: sed in nobis per veram notitiam, sincerumque amorem, quibus ipsum agnoscamus & colamus: seruientes ei in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris.

Ita ut lucea lux nostra coram hominibus, hique videntes opera nostra bona glorificent Patrem nostrum qui in caelis est, *Matth. 5.* Quartum est, secundam petitionem adueniat regnum tuum: esse ut communicetur nobis regnum Dei per aeternam scilicet beatitudinem, qua fruamur Deo, tanquam ultimo nostro fine; à cuius regni annunciatione, Christum Dominum prædicationem suam inchoasse habetur ex *Matth. capite quarto* cum dicitur. Exinde cepit Iesus prædicare & dicere. *Poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum* ] & ex sequenti. *cap. 5.* cum doceat turbas, primo dicit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* ] *Item in cap. 6. sub finem præcipit, nos primum querere regnum Dei & iustitiam eius.* ] & *cap. 10.* Discipulis præcipit. *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum caelorum.* ] Demum post resurrectionem suam per dies quadraginta illis discipulis apparet, sermone habuit de regno Dei *ex Actis apostolorum cap. 1.* *Ad haec* e autem ad petitionem regni caelestis adiungendam esse iustitiam eius, seu diuinorum mandatorum observationem de qua ipse Dominus *Matth. 19.* *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

118. Quintum est, tertiam petitionem *Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra;* referri præcipue ad voluntatem signi: quo nomine Theologi appellant præcepta & prohibitiones quibus Deus significat, quid à nobis agi, vel non agi velit. Aliquatenus autem referri ad voluntatem beneplaciti (*qua Deus, cui nemo resistere potest, absolute vult aliquid fieri*) eatenus nimirum, quod Dei beneplacitum nunquam reprehendere debeamus, neque de eo murmurare; etiam si nos affligi premique velit: sed patienter, ac libenter ei acquiescere. *Ia Bellarminus;* ex communi sententia Patrum. Addens: per caelum intelligi Ecclesiam triumphantem in caelis: & per terram, Ecclesiam militantem ac peregrinantem in terris: ita ut id quod in istiusmodi petitione optamus, sit ut promptè, perfecteque Deo per ipsius gratiam obediamus in omnibus, sicut Sancti faciunt in caelo.

Sextum est, ex communi Patrum doctrina, vt notat Bellarminus, quartam petitionem, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* sic accipiendam esse, vt panis nomine intelligatur alimentum in genere, seu subsidia omnia necessaria, ad vitam tum animæ tum corporis conferendam. Et quoniam subsidia vitæ spiritualis: vt Sacramenta, contritiones, & cetera id genus, multo magis sunt & necessaria & nobilia, quam subsidia vitæ corporalis: ideo intentionem orantis ferri debere ad panem spirituale, tanquam ad id quod primariè petitur, ad panem autem corporalem, vt ad quoddam externum subsidium quo prouideatur corpori incolaui vt seruita animæ in procreatione salutis aeternæ. Illius petitionis formam tradidit Salomon *Proverb. 30.* cum dixit, *Mendiciatorem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.*

119. Septimum est: in quinta petitione *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* debitorum nomine significari peccata: tum quia *D. Lucas cap. 11.* eam proponit his verbis, *Dimitte nobis peccata nostra; & Dominus noster Matth. 6.* ad illius expositionem dicit: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester caelestis delicta vestra.* Admonet autem nos, ipsum debiti nomen: quod cum peccatum sit iniuria illata Deo, legique transgressio; per peccatorem suum constituat debitorem satisfactionis facienda & poenæ luenda. *A Idimus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* non quasi velimus Deum in miserando imitari nos: sed tantum testari misericordiam nobis placere: quam petentes à Domino, repulsam pateremur, si eam negaremus conseruo nostro: iuxta illud quod *in cit. a. 6.* subiungit Christus: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ceterum dimittere debitoribus nostris, est cum iis qui nos læserunt, inimicitias non gerere; sed eos etiam si inimicos, diligere eisque benefacere: iuxta Christi Domini præscriptum, sub fine in præcedenti cap. 5.

Condonandam autem esse iniuriam proximo etiam non postulant, satis indicant verba Domini *Matth. 11.* *Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in caelis est dimittat vobis pec-*

cata vestra. Pater etiam ex eo, quod inimicitias gerens cum aliquo; sicut & voluntariè perseuerans in alio peccato mortali, dominicam orationem dicendo, in singulis ferè partibus illius, mentiatur. Nec enim verè dicit, Pater noster qui es in caelis, qui non vult esse Dei filius; nec Sanctificetur nomen tuum: qui factò negat Deum; nec adueniat regnum tuum, qui nihil tam timet, quam aduentum in iudicium, in quo vnique reddendum est secundum opera sua: nec *Fiat voluntas tua;* qui non ex Deo, sed ex sua voluntate vult vivere: nec demum cetera quæ in ipsa Dominica oratione subiunguntur: qui iisdem à quibus se liberari petit, voluntariè se subiicit.

120. Octauum est: sextæ petitionis finem esse euitationem peccati futuri; ita vt petamus non induci in tentationem, ne fortè à tentatione superati, legem Dei violemus. Inducit autem nos Deus in tentationem: non quidem impellendo nos ad malum, cum non sit author peccati (vnde à *D. Iacobo in sua canonica cap. 1.* ipse dicitur tentator malorum, & neminem tentare) sed tentationem, sicut pestes, non prohibendo euenire. Id quod contingit dupliciter, non nunquam enim ita aliquem tentari permittit, vt si à gratiâ sustentatum non deserat, legitime certantem coronaturus: iuxta illud *in cit. cap. primo.* *Beatus vir qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Nonnunquam verò iusto iudicio aliquem, id exigentibus peccatis ipsius, ita permittit tentari: vt succumbat ad suam perniciem abutens beneficiis, quæ ad salutem accepit. Haec igitur petitione conscij nobis, tum nostræ infirmitatis, tum potentie nostrorum hostium, imploramus auxilium Dei ne desens nos in tentationibus, suis assentiamur decepti; vel cedamus afflictis; ponatque brachia nostra vt arcum arcum *ex Psalm. 17.* cuius beneficio arcus fortium superetur & infirmi accincti sint robore *ex 1. Reg. cap. 2.* nec enim humanæ imbecillitatis est hostiles demonum inspetus sustinere, nisi adit Dei gratia, quæ faciliè deficientes in tentatione vires nostras recreet, reficiat ac communiat; ita vt victoriam si contingat, acceptam illi ferre debeamus & gratias habere: sicut habuit Apostolus in *priori ad Corinth. 15.* sub finem dicens *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Nonum est: vltima petitione, *Sed libera nos à malo,* postulari liberationem à poena, sicut præcedente, postulata est liberatio à culpa. Cum enim homo natus de muliere breui viuens tempore repleatur multis miseris *Job. 14.* petimus aduersus impetum illarum, diuina ope muniri, ne occasione earumdem, per impatientiam aut aliter ad peccandum pertrahamur, sed potius ad virtutem prouehamur iuxta illud *posteriori ad Corinth. 12.* *Virtus in infirmitate perficitur* ] aut certe si nullam vtilitatem adferant animæ, tui sumus ab illis: vt ab inundatione aquarum, ab incendio, à fulgure, & tempestate, fame, peste, bello, carceribus & vinculis, exilio, infidiis hostium, & proditiombus morte inopinata, aliisque id genus, quibus in huius vitæ peregrinatione, & terremur, & affligimur, à quorū plurimis, pius pater nos liberat, alia nos pari permittit: solatia admiscens quæ cuiusdam liberationis rationem habent. Additur propositus petitionibus particula (*Amen*) significans fideliter, aut verè, vt ex *D. Hieronymo*: aut fiat, vt ex *D. Ambrosio* habet loco cit. *Gregor. à Valen.* inquit nos per eam in fine orationis excitare ac protefari fiduciam impetrandi, sicut & in initio per verba *Pater noster qui es in caelis.*

Vltimum est, ex proposito petitionum ordine intelligi, nos Christi institutione debere ante omnia optare Dei gloriam: deinde nostram cum Deo perfectam coniunctionem: tum vitam actam ex ipsius voluntate, quæ mediam est ad eandem coniunctionem consequendam. Præterea subsidia siue spiritualia, siue corporalia ad talem vitam necessaria: ac demum liberationem tum à peccatis, tum ab occasione peccandi: siue sint tentationes, siue insultus hostium, siue miseria, & calamitates humanæ tanquam impedimenta memoratæ vitæ. Vbi aduerte, quod cum petitionem liberationis ab huius vitæ malis seu calamitatibus, Christus Dominus vltimam posuerit: contra hominis Christiani officium esse, quod quidam cum calamitates aliquas patiuntur



tur, aut aliquod earum periculum, petunt tantum ab illis eripi, negligendo petitiones præmittendas de Dei gloria, & reliquis. Quo fit, ut non sit mirum si tanquam male petentes non exaudiantur.

APPENDIX.

De recitatione Rosarii.

Receptus apud Catholicos usus Rosarii, in quo orationi Dominicæ subiungitur aliquoties repetita Salutatio Angelica, exigit ut de illo ad extremum addamus notatu digna, quæ habentur in quodam manuali sodalitatæ Beatæ Mariæ Virginis his verbis. Rosarium apud Catholicos aliud nihil est, quam seruum quoddam spirituale, mysticis vocibus ex Evangelio depromptis, tanquam rosis contextum, quod Virgini Virginum, Dei Matri offerimus. Constat autem oratione Dominicæ quinquies & Salutatione Angelica quinquagies repetita. Vnde cum Rosarium tertio dictum, efficiat numerum 150. salutationum, qui est numerus Psalmorum Dauidicorum, id ipsum trinum Rosarium vocatur Psalterium beatæ Virginis.

Porro quinquies in Rosario orationem Dominicam reperimus, ut quinque vulnerum Christi memoriam reficeremus. Salutatione verò Angelicam cuique orationi decies subiicimus ut in mentem nobis veniat decem mandatorum Dei observatio. Eandem quinquagies toto Rosario iteramus, ut plenam peccatorum remissionem, quæ quinquagenario numero Iubilæi, in Scripturis sanctis significatur, intercessione B. Virginis per merita Dominicæ passionis consequamur.

Iam ut mens orantis, cui difficile videtur, & tædiosum ad eadem verba toties repetita attendere, fructu suo non careat, præordinatum est, ut quodlibet Rosarium quinque mysteriis addiceretur, quibus meditandis dum os verba proferret, mens occuparetur.

Primo Rosario assignata sunt quinque gaudia sanctissimæ Mariæ, (quinque decedibus accommodata) quibus illa exijs, quæ circa Christi naturam humanam contigerunt, affecta fuit. Quorum 1. est Annunciatio Dominicæ Incarnationis. 2. Visitatio Elizabethæ. 3. Natiuitas Christi. 4. Oblatio Christi in templo. 5. Inuentio pueri Iesu inter Doctores.

In secundo Rosario memoranda assignantur quinque mysteria Passionis Christi quæ sunt. Primum, oratio & captiuitas Domini in horto. Secundum, flagellatio. Tertium, coronatio. Quartum, Bailuatio crucis. Quintum, Crucifixio.

In tertio, Rosario consideranda proponuntur quinque mysteria gloriosa; quæ contigerunt post Christi Domini mortem: quæ sunt Primum, Resurrectio Domini. Secundum, Ascensio eius in cælos Tertium, Aduentus Spiritus sancti in Matrem & Discipulos. Quartum, Assumptio B. Virginis. Quintum, Coronatio eiusdem.

Ex quibus patet multiplex Rosarii usus & fructus: quo scilicet renouatur memoria præcipuorum mysteriorum vitæ Christi, & B. Virginis, capitumque fidei. Quod sanè compendium eò est apud omnes vtilius, quòd usus eius latus patet, quam librorum: legi enim potest etiam à literarum imperitis, a cæcis, in equis, & in tenebris densissimis. Nunquam vetò omittenda sunt ipsa mysteria, circa quæ intelligentia & memoria occupentur; & licet initio aliquid difficultatis habere videatur, ita semper eorum meminisse; paucorum dierum tamen usus, rem totam facillimam reddet.

Modus faciliè recitandis Rosarium.

Vt autem facilius fideles in recitando Rosario, mysteria proposita percurrant, modum sat opportunum & facilem subiicimus.

Is est, ut antequam decadem aliquam inchoes, mysterium quod in ea meditandum est, breuiter in memoriam reuocet, retinendum postea, dum eandem absolues. Deinde sub initium orationis Dominicæ Deum velut præsentem animo subiicias, ut Patrem. Sub initium salutationis Angelicæ B. Virginem ut matrem; nimirum ut imaginatio circa id occupata, euagari huiusmodi non possit. Velicèrè i-

magineris te ferri per ea loca in quibus ea mysteria facta sunt, illisque te præsentem esse cogites, ac si ea oculis tuis haberes proposita. Quod citra difficultatem, magna animi voluptate, sensusque heri potest; sicut otiosi aliquando imaginantur nos totam Hispaniam percurrere, videre, inuenerique mira, &c.

Et die quidem Dominico & feria 5. tertij generis mysteria quæ gloriosa dicuntur. Feria 2. 3. & Sabbato primi generis quæ gaudiofa appellantur. Feria 4. & 6. ea quæ luctuosa nuncupantur expendi, & considerari possunt.

Ad faciliorem quoque mysteriorum considerationem Nanarus in Miscellaneo 24. de eodem Rosario, hunc modum suggerit, ut ad singulas decades, mysterium ipsum, cui volumus intendere in salutationibus Angelicis, breuiter interferatur, hoc pacto.

IN ROSARIO GAUDIOSO.

Ad decades singulas cum peruenit fuerit ad nomen IESVS adiciatur.

Table with 3 columns: Ad (1-5), Quem (1-5), and S. Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, &c. (1-5). Rows describe events like 'Virgo concepta', 'Visitatio Elizabeth portasti', etc.

IN ROSARIO DOLOROSO.

Ad decades singulas cum item peruenit fuerit ad nomen IESVS adiciatur.

Table with 3 columns: Ad (1-5), qui pro nobis (1-5), and S. Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, &c. (1-5). Rows describe events like 'Sanguinem sudauit', 'Flagellatus est', etc.

IN ROSARIO GLORIOSO.

Ad decades singulas, cum similiter peruenit fuerit ad nomen IESVS adiciatur.

Table with 3 columns: Ad (1-5), Qui (1-5), and S. Maria Mater Dei ora pro nobis, &c. (1-5). Rows describe events like 'Resurrexit à mortuis', 'In cælum ascendit', etc.

Adde, quod in eodem Miscell. num. 3. commendat Nauarus, videri consultum ac etiam fructuosum, absoluta quæ is decade, quasi recreandi animi causâ, hisce verbis ad gratulationem excitare se. Absoluta prima: Decies millies te benedicat virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Sancti Angeli, & Archangeli, vniuersique curiæ cælestis Spiritus, cum quibus speramus te aliquando videre colereque in cælo. Amen.

Post secundam decadem: Vicies millies te benedicant, virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Sancti Patriarchæ, Prophetæ cæterique veteris Testamenti: Sancti Innocentes, Sancti Ioseph & Ioannes Baptista, cum quibus speramus te aliquando videre, colereque in cælo. Amen.

Post tertiam: Tricies millies te benedicant virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Sancti Apostoli Domini Discipuli & Euangelistæ, omnesque Gloriosi Martyres cum quibus, &c.

Post quartam: Quadragies millies, &c. omnes Sancti Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi, Eremitæ, Virgines, Vidui, Coniugati, cum quibus, &c.

Post quintam: Quinquagesies millies te, &c. Sancta Anna Mater tua, & Mariæ cognatæ tuæ, amicitiam æque tibi Magdalena & Martha, omnes Sanctæ Virgines, Viduæ, Coniugatæ, cum quibus, &c.

Tribus supra explicatis Rosariis, adiungi possunt tria illa. Primum est, vitæ Christi. In prima decade mediando Christum baptizatum, & ieiunantem. In secunda decade, legislatores præcepta virtutum omnium tradentem. tum verbo (utin sermone quem habuit in monte: Beati pauperes, &c.) tum exemplo. In tertia decade varia edentem. In quarta

quarta

quarta decade Sacerdotem varia instituentem Sacramenta. In quinta decade transfiguratum.

Secundum Rosarium complectitur meditationem quatuor nouissimorum. In prima decade meditando mortem: in secunda iudicium particulare: in tertia iudicium vniuersale: in quarta, infernum, in quinta, gloriam celestem.

Tertium Rosarium continet meditationes beneficiorum quæ à Deo accepimus. In prima decade meditando beneficium creationis: in secunda, conseruationis & gubernationis: in tertia, Redemptionis: in quarta, Vocationis ad fidem Catholicam, Iustificationis à peccatis sæpius repetita, beneficiorumque particularium: in quinta, glorificationis in celo quam tibi ab æterno præparauit. Denique quorundam meditationes quinas potes coniungere, tot Rosaria diuersa potes tribus primis ante explicatis adiungere.

Quid Corona, & quis eius recitandi modus.

Am valde in vsu est id genus Rosarij quod beate Virginis Corona dicitur, quæ sex decadibus continetur, quibus adicitur semel oratio Dominica, & ter saluatio Angelica, ac postremò concluditur Symbolo Apostolorum. Corona hæc inuenta & vsurpata videtur in honorem 63. annorum, qui à multis Diuæ Virg. tribuuntur, vt singulis annis respondeant singulæ Salutationes Angelicæ, quæ sunt 63. Corona autem hæc cum recitatur, in quinque primis decadibus, ante dicta mysteria, pia cogitatione evolui debent. In sexta autem decade eadem repeti possunt, primum scilicet, in primo Aue; secundum, in secundo; & sic deinceps: ita vt in singulis decem illius decadibus Saluationibus, bis singula mysteria repetantur: aut in duabus primis saluationibus vnum: in duabus secundis, secundum, & sic deinceps: aut certe vnum aliquod mysterium in quo magis nos commoueri sensimus, in tota vltima decade iterum mentis oculis subiiciatur. Ad tria autem vltima Aue Maria, virtutes subiectas, vel alias pro cuiusque deuotione per intercessionem gloriosæ Virginis possumus à Deo postulare, hoc modo.

In 1. Rosario post IESVS, adiciatur.

Qui nobis } Fidem rectam, } Sancta Maria  
angere } Spem firmam, } Mater, }  
 } Charitatem perfectam. } &c.

In 2. Rosario post IESVS, adiciatur.

Qui nobis } Intellectum illuminet. } Sancta Maria  
 } Voluntatem perficiat. } Mater Dei ora  
 } Memoriam roboret. } pro nobis, &c.

In 3. Rosario IESVS, adiciatur.

Qui. } Dirigat cogitationes. } Sancta Maria  
 } Regat verba. } Mater Dei ora  
 } Gubernet opera. } pro nobis, &c.

Post sextam autem Coronæ decadem adijci potest, Centies milles te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria omnes Sancti, Sanctæque Dei, cum quibus speramus, &c.

TERTIA LIBRI PARS

De ieiunio Penitenti posito in præcepto.

CAPVT DVODECIMVM.

De illius nomine, definitione, & diuisione.

S V M M A R I V M.

- 122. Ieiunium metaphorice sumitur pro abstinentia à peccatis.
- 123. Proprie sumptum, quid & quorundam sit.
- 124. Quid vocetur ieiunium naturæ; quid ieiunium virtutis, & quid ieiunium Ecclesiasticum, & cur de hoc antum præsens tractatus instituat.
- 125. Definitio ieiunij Ecclesiastici, ex cuius priore parte sumuntur tria documenta.

126. Explicatione posterioris partis eiusdem definitionis ostenditur differentia, quæ ieiunium Ecclesiasticum à cæteris ieiunijs separatur.

127. Varia diuisionis ieiunij Ecclesiastici.

128. De Ecclesiastico ieiunio Quatuoragesimali.

129. Illius præceptum præ cæteris commendatur ex eo, quod ab initio nascentis Ecclesie sit ab apostolo institutum.

130. Quo modo accipiendum sit, quod à nonnullis sanctis Patribus dicitur à Christo institutum esse.

131. De ieiunio Quatuor temporum, & Vigilium.

132. Quam vim consuetudo habeat inducendi aut tollendi ieiunij obligationem.

133. Consuetudo vs inducere, sic abrogare potest ieiunium Ecclesiasticum.

134. Duo dubia, quorum solutione declaratur ratio, qua consuetudo potest legem Ecclesiasticam de ieiunio abrogare.

135. Quando teneantur aut non teneantur Religiosi seruare ieiunia secularibus consuetis.

136. In ieiunijs teneantur aduenæ consuetudinibus incolarum, si sibi cohabitent, non item si viatores tantum sint.

137. Dies, in quibus ieiunandum non est.

138. Ieiunium non est in illis prohibitum.

Ieiunij nomen laicè sumptum extenditur ad abstinentiam à peccatis, de qua Isaia 58. Nonne hoc est ieiunium quod elegi: dissoluere colligationes impietatis? ] Ex de consecrat. distinct. 5. cap. Ieiunium autem magnum & generale est abstineri ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus sæculi &c. ] Quam acceptationem D. Thomas 2. 2. quæstio. 147. art. 2. ad 1. metaphoricam esse ait; sicut nimirum voluptas illicita non nisi metaphoricè potest cibus vocari. Ad illius vsum spectantia habentur in præcedenti lib. 2. cap. 15.

Sumptum verò proprie, ex eod. D. Thoma ibidem, dicitur de abstinentia à cibo & potu: & distinguitur ( vt notant tum alij tum Richar. in 4. & Ioan. Medina in Cod. de ieiunio, ille dist. 15 art. 3. q. 2. hic q. 1. in ieiunium naturæ, ieiunium virtutis, & ieiunium Ecclesiæ.

Ieiunium autem naturæ, dicitur abstinentia ab omni cibo & potu, quale ad Eucharistiæ sumptionem requiritur, per cap. Ex parte de celebr. Missarum: de quo cum de ipsa Eucharistia in sequenti libro 29. Ieiunium verò virtutis, dicitur abstinentia à cibo & potu, cum moderatione, quam recta ratio dictauerit: ita scilicet, vt homo comedendo & bibendo, in eo quod naturæ necessarium est nec deficiat; nec notabiliter excedat: sed sumat quod ad vitam & debitam corporis valetudinem conuenit: prout explicat Medina. Qui postea in sequenti quæstio. 12. declarat quomodo ratio virtutis ei conueniat: quod est Scholastici instituti speculationisve. Ieiunium denique Ecclesiæ dicitur illud de quo datur Ecclesiæ præceptum; per quod cum determinetur præceptum diuinum, non modo quoad tempus, sed etiam quoad modum ieiunandi ( in quo distinguitur à præceptis Ecclesiasticis de confessione, & de sumptione Eucharistiæ, determinantibus diuina præcepta solummodo quoad tempus ) sit vt obligatio, quam Christianus habet ieiunandi, tota est imetur ex eodem præcepto Ecclesiastico: sitque porro vt totus hic tractatus instituendus sit de ieiunio Ecclesiastico. De quo agitur in iure Canonico, apud Gratianum quidem distinct. 4. & 76. & de consecr. distinct. 3. & 5. in decretalibus verò tit. de obseruat. ieiuniorum. Agitur & à Theologis scholasticis, à D. Thoma quidem in cit. q. 147. & ab Alexandro Ales. in 4. part. qu. 28. A reliquis verò in 4. distinct. 15 & nonnunquam distinct. 16. vt à Gabriele quæst. 3. Itemque à Summulariis in verbo Ieiunium; & à D. Anton. 2. part. tit. 6. cap. 2. ab Abulensi in cap. 6. D. Marth. quæst. 124. & pluribus sequentibus, à Ioanne Medina in cit. Cod. per tredecim quæstiones à Couar. in lib. 4. variarum resolutionum cap. 20. & à Nauar. in Epichir. cap. 21. à num. 11. & à recentioribus, vt à Bellarmin. in tom. 3. controuersiarum tertia generali li. 2. à Gregorio à Valentia secunda secunda disp. 9. quæst. 2. & ab Azorio in prima parte Moralium institutionum libr. 7. Quæ verò necessaria videntur ad Confessarij & Penitentis institutionem complectemur, dicendo primò de de eiusdem ieiunij definitione & diuisione: quod fiet in hoc eodem cap. Secundo, de necessarijs ad illud. Tertio, de modis quibus ipsum vio-

latur. Quartò, de peccato quod committitur ipsius violatione. Quintò, de peccato quod committitur participando in eadem violatione. Sextò, de causis excusantibus ab illius obseruatione. Septimò, de his quæ vrgent nos ad eandem obseruationem: fietque sequentibus capitibus. Quæ autem addenda viderentur de vñ cæterorum operum poenaliũ; quæ siue à nobis sponte suscepta, siue Deo infligente, patienter à nobis tolerata, possunt iuxta *Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 9.* rationem satisfactionis habere: partim sumenda sunt ex dictis lib. 2. cap. 14. sect. 11. 12. & 13. partim relinquenda sunt tum Confessarij, tum etiam Penitentis prudentia.

De definitione ieiunij Ecclesiastici.

SECTIO I.

125. **D**efinitio autem potest ieiunium Ecclesiasticum: Voluntaria ciborum abstinencia, quæ communi lege & consuetudine Ecclesie obseruatur. Cuius definitionis prior pars, *Voluntaria ciborum abstinencia*, tenens locum generis, declarat id in quo ieiunium Ecclesiasticum comunicat tam cum ieiunio virtutis, quam cum ieiunio priuato, de quo in sequenti nu. 126. versus finem erit mentio. Ex ea autem desumi possunt tria documenta.

Primum est, non frangi Ecclesiasticum ieiunium, nisi frangatur abstinencia. Vnde sequitur, eum qui gustat cibum, nec deglutit, non frangere ieiunium; eum verò frangere qui deglutit cibum, quantumuis non gustet, vt deglutens oua forbilia. Secundum est, non seruari ieiunium Ecclesiasticum ab eo, qui inuitus abstinet à cibo; seu, quia non potest cibum habere: non enim ieiunat voluntate, sed necessitate. Tertium est, in hac materia, cibum à potu & à medicina, cum quibus commune habet, quod ore sumatur, non esse distinguendum ex modo, quo sumitur, quasi nomine cibi id tantum intelligatur, quod comeditur: cum lac, etiam si poterit, sicut vinum, sit tamen cibus: sed esse ex fine & principali effectu distinguendum: vt id quod principaliter institutum est ad nutritionem, dicatur cibus, quocumque modo ore sumatur: id verò quod principaliter facit ad bonam nutrimenti dispositionem, & ciborum digestionem, vocetur potus: & id quod principaliter est contra morbos, siue comedatur, siue bibatur, vocetur medicina.

126. Posterior autem pars eiusdem definitionis, *tenens locum differentia*, ostendit id quod est ieiunio Ecclesiastico proprium, separans ipsum à reliquis ieiuniis. Nam constitutum esse communi lege & consuetudine totius Ecclesie, non conuenit reliquis ieiuniis. Etenim ieiunium virtutis constitutum est iure naturali: si quidem vnà cum rationis instinctu, institutum est nobis temperantiæ, sicut aliarum virtutum, præceptum, & quasi semper. Ieiunium verò illud quo aduersus peccata abstinetur à licitis, ijsve quibus saluà temperantiæ virtute vti possumus, est iure diuino constitutum per illud *Ioel. 2.* *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, &c.* Et per illud quod *Matth. 6.* Dominus noster vt orandi ac elemosynam dandi, sic & ieiunandi modum tradit. Immo verò quia vrgente corporis vel animæ necessitate, aut vtilitate, ratio illud ipsum dicit: iure quoque naturali constitutum censeripotest, perinde ac præcedens. A quo tamen differt, vt, *præter ea quæ habet Couar. lib. 4. variarum resolut. cap. 20. num. 1. satis ostendit: quod semper quidem temperanter sobriquet sit viuendum: non autem semper à licitis abstinendum: vt patet ex responsione à Christo facta discipulis D. Ioannis Baptiste, apud *D. Matth. cap. 9.* Nunquid possunt filij spòsi lugere quamdiu sponsus est cum illis, &c. Itemque ex admonitione D. Pauli in *priori ad Corinth. cap. 7.* Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi. Reliqua denique ieiunia sunt constituta lege priuata, quæ vel persona aliqua, vel populus aliquis, se ad ieiunandum adstrinxit. Quæ tamen differentia non obstat quin ieiunium Ecclesiasticum magnam cum aliis habeat affinitatem. Nam induit rationem ieiunij virtutis, vt patet per tradita à Medina in *ciuitate quæst. 12.* nihilque in se includit, vnde mediũ virtutis corrumpatur; vt bene notat Richardus loco citato. Deinde ad ieiunium iuris diuini sic affectum est, vt cum illud absolute præceptum sit, Ecclesia per suum præceptum determinet certum tempus & modum, quo obser-*

uari debeat ex D. August. epist. 86. ad Casulanum: nimirum ne in eo committatur excessus, quem humana infirmitas non patiatur, vel defectus, ex quo parum, aut etiam nihil, fructuosum sit. Denique in ieiuniis priuatis forma illius retinetur. Nempe qui ex deuotione, aut ex voto, vel ex præcepto Confessarij ieiunat, abstinet à carnibus, & est vna refectioe contentus, sumpta circa meridiem. Porro ieiunium Ecclesiasticum sanctum ac salutare esse, aduersus hæreticos nostri temporis, propugnatum, qui volebat videre poterit: tum apud Bellar. tom. 2. in tertia controuersia generali lib. 2. cap. 11. tum apud Gregor. à Valen. secunda secundæ disp. 9. q. 2. puncto 2.

Varie diuisiones ieiunij Ecclesiastici.

SECTIO II.

127. **I**eiunium Ecclesiasticum laicè sumptum diuiditur primo in commune, quod in tota Ecclesia seruatur; & in priuatis, quod ex voto vel ex Confessarij, aut Superioris particulari præcepto, vel ex gentis aut ciuitatis speciali statuto suscipitur: de quo non est in presentiarum sermo. Commune rursum diuiditur in perfectum & in imperfectum. Illud que est, in quo à certis cibis, maxime à carnibus abstinetur & semel tantum intra diem naturalem corpus cibo reficitur: hoc verò est, in quo licet corpus, plusquam semel in die reficiatur, tamen à certis cibis abstinetur, quale seruatur diebus dominicis in Quadragesima, & feria sexta ac Sabbatho per annum, quando nullum aliud indictum est ieiunium, & in diebus Rogationum. Atque perfectum ex D. Thoma 2. 2. in eadem quæstion. 147. art. 5. ad 3. distinguitur in ieiunium exultationis & lætitiæ, de quo non debet dari præceptum, quia procedit ex instinctu Spiritus sancti: & in ieiunium afflictionis, quale est quod ab Ecclesia instituitur, & de quo nobis est hic sermo: quodque ex tempore, illius obseruationi determinato ab Ecclesia, distinguitur in Quadragesimale, Quatuor temporum & Vigilium.

128. De quorum primo, hoc est, de Quadragesimali, obseruandum est, ex cap. *Quadragesima, De consec. distinct. 5.* ipsum esse ieiunium quadraginta dierum aut pascha, in quibus dum ieiunando affligimur, Deo quasi anni decimas damus. Quoniam autem à prima Dominica Quadragesimæ vsque ad Pascha, sex hebdomadæ computantur continentes quadraginta duos dies; ex quibus sex Dominicæ subtrahuntur ieiunio, ita vt remaneant solum triginta sex, factum est, vt ad implendum factum quadraginta dierum numerum, quem Saluator noster suo ieiunio consecrauit, adderentur quatuor dies præcedentis hebdomadæ; sicque initium Quadragesimæ à quarta eiusdem hebdomadæ feria sumeretur: quæ propterea dicitur caput ieiunij.

Quis alius ante D. Gregor. (ex cuius homil. 16. in Euangelia sumptus est memoratus Canon) Quadragesimæ fuerit in Ecclesia vsus inchoandi ieiunij Quadragesimalis: quis item eiusdem finiendi, videri potest apud Azorium in cit. li. 7. c. 12. q. 2. & 3. sicut & quanta fuerit in obseruanda Quadragesima varietas potest apud Bellarm. in cit. lib. 2. c. 15. Nam res est longa, & quæ ad iudicium de peccatis nobis propositum non videretur esse necessaria.

129. Cæterum Quadragesimalis ieiunij præceptum duo habet, in quibus plurimis aliis Ecclesie præceptis antecellit, digna notari hoc nomine, quod ieiunij obseruationem, vltra ingentes eius utilitates, nobis reddant commendatam: Vnū est, quod non fuerit datum subsequentijs temporibus; sed ab ipsis Apostolis initio nascentis Ecclesie: pro quo multi Authores citantur à Couar. in memorato cap. 20. nu. 4. sed nobis sufficit extare Canonem 68. eorumdem Apostolorum, in quo factum Quadragesimæ ieiunium; vt iam tunc institutum, obseruare admonemur.

Item de eodem mentionem esse apud D. Clementem in libro 5. constitut. Apost. cap. 12. & apud D. Ignatium in Epistola ad Philipp. qui Apostolorum tempore vixerunt Alterum est, Quadragesimæ ieiunium institutum esse ab Apostolis ad exemplum Christi, qui inchoatus sacrosancti Euangelij prædicationem, ieiunauit quadraginta dieb. & quadraginta noctibus *Matth. 4.* Pro qua re plures Patrum auctoritates habet Bellarm. in cit. lib. 2. cap. 16. in 7. causam institutionis ieiunij Ecclesiastici. Quod verò aliqui ex illis (quorum Azor-

in præ-

in præced. quæst. r. meminit) docere videntur Quadragesimale ieiunium à Christo esse institutum, ita vt de iure diuino seruandum sit, bene Ioannes Medina explicat in memorato Cod. de ieiunio, quæst. 2. Vbi etiam soluit alia quæ ad idem confirmandum facere videntur: in quibus immorari non est instituti nostri, sicut nec in recensendis causis institutionis eiusdem ieiunij, quas ex Patribus Bellarm. persequitur in cit. c. 16. Est enim ea fiat digna scitu, non veniunt tamen in considerationem, cum iudicandum est, an contra hoc præceptum peccetur in aliquo casu.

Satis igitur fuerit paucis monuisse, à nonnullis Patribus, vt à D. Ambrosio, Beda, & Maximo (quorum Medina ipse meminit) ieiunium Quadragesimale non humana cogitatione inuentum, sed diuina maiestate præceptum dici: eo quod auctoritatem habeat ab exemplo Christi: qui ieiunando quadraginta diebus & quadraginta noctibus, sacrum fecit quadragenarium ieiunium, & apud Deum commendabile, acque acceptum; ita vt in magna reuerentia habendum, perindeque obseruandum sit, ac verè esset à Christo acceptum: non autem quod Christus illud iusserit: sicut nec cum virginitatem, & eximiam paupertatem seruauit, nos ad eas præcepto adstrinxit: sed tantum imitationem proposuit. Et certè quod suo ieiunio non indixerit ciborum discretionem, quæ in Quadragesima seruare præcipitur, patet eo eo, quod dixit discipulis Luca 10. In quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis. Patet etiam ex dispensatione, quam Papa solet nonnullis dare comedendi oua, caseum, ac etiam carnes in Quadragesima: quæ dispensatione recipiuntur fideles, si talis discretio seruari deberet de iure diuino, in quo papa non dispensat propriè, cui & ipse tanquam inferior subiicitur sicut cæteri.

De ieiunio Quatuor temporum & Vigiliarum pauca tantum, & paucis attingenda sunt tanquam sufficientia ad nostram institutionem. Primum est, dictum esse ieiunium Quatuor temporum, eo quod tertio quoque mense quater in anno obseruetur feria quarta, sexta & Sabbatho. Secundum est, de eo multos haberi Canones in prima parte decreti distincti 76. Tertium est, illius institutionem ab Apostolis profectam esse, quo ad tria tempora. Pentecostes inquam, mensis Septembris, & mensis Decembris: prout habetur ex Patribus, præsertim ex D. Leone: videri possunt Bellarm. & Azor. in libris citatis: illi cap. 19. & hic cap. 14. Quoad quartum verò quod Calixtus Papa, qui ante mille quadringentos fere annos vixit, ipsum tribus illis addidit, habetur ex eiusdem Epistola ad Benedictum Episcopum, quæ refertur distinctio. 76. cap. 1. Quartum est, olim vario modo celebratum fuisse Quatuor temporum ieiunium: de quo videri possunt etiam in eisdem locis Bellarm. & Azor. vt & de causis ob quas ipsum est institutum. Quintum est, ieiunium Vigiliarum ex eo dictum esse, quod maiores nostri pridie magnarum solemnitarum, non modo ieiunare solerent, sed etiam de nocte in Ecclesia vigilare. Qui nocturni conuentus, quamuis in consuetudinem abierit, retentus est tamen ieiunij ritus, & cum eo nomen ieiunij Vigiliarum. Sextum est, in quarum solemnitarum vigilis ieiunandum sit, cognoscitur non modo Ecclesie præcepto, sed etiam ex recepta regionis consuetudine, iuxta cap. Consilium De obseruat. ieiuniorum §. De festiuitate & Item de illis. Quæ verò sint hæc Vigilie, communis vsus satis ostendit. Recensentur in verbo Ieiunium ab Angelo & Syluest. ab illo num. 7. & ab hoc num. 5. videri quoque potest Azor. in præcedenti cap. 13. Septimum est, si Vigilia in diem Dominicum incidit, ieiunium transferendum esse in præcedente in diem Sabbathi ex cap. 1. De obseruatione ieiuniorum. De ieiunijs autem quartæ & sextæ ferie ac Sabbathi aduentus, iremque septuagesimæ, Sexagesimæ ac Quinquagesimæ, & Rogationum, quæ olim fuerunt in vsu perfecti ieiunij; nunc autem non sunt, videri possunt Bellarm. & Azor. qui de illis peculiaribus capitula habent in citatis libris.

\* \*

De vi consuetudinis ad inducendam vel tollendam in Ecclesia ieiunandi obligationem.

## S E C T I O III.

Præmissæ expositioni propriæ rationis ac varietatis ieiunij Ecclesiastici, adiungenda est pro praxi expositio duorum dubiorum; quorum prius est. Quam vim habeat consuetudo in Ecclesiastico ieiunio inducendo vel abrogando. Posterius est. An sicut datur tempus in quo ieiunium ab Ecclesia præcipitur; sic detur in quo ipsum prohibeatur. Ac de priori hæc documenta tenenda videntur.

Primum est, posse ieiunij obligationem induci consuetudine. Hæc enim, si approbata sit à Superiore, vim legis habet ex cap. Dilecti. De arbitrio, & ex lege, De quibus, cum aliquos sequentibus ff. De legibus.

Secundum est, posse ieiunium abrogari consuetudine. Nam hæc habet quoque vim abrogandi legem humanam, ex cap. Cum tanto, de consuetud. Et confirmatur, quia consuetudo abrogauit ieiunium Rogationum, quod præcipitur in ca. Rogationes de consecr. distincti 3. Item ieiunium quartæ & sextæ ferie iam inde ab Apostolorum temporibus in præcepto positum (vt patet per citata à Bellarm. & Azorio in iisdem libris ab illo in cap. 17. & ab hoc in cap. 15.) constat consuetudine abrogatum esse, & arbitrio nostro relictum ex cap. De vsu carnium, de consecr. distincti 3. iuncta glossa. Denique ieiunium aduentus, alias festum seruari in Ecclesia Romana, ex cap. Consilium de obseruat. ieiuniorum; contraria consuetudo iam fuit. De nonnullis vigilis Apostolorum, idem dici potest. Nam cum in omnibus ieiunare præceptum sit, exceptis vigilis Apostolorum Philippi & Iacobi & Ioannis Euangeliste ex eod. c. Consilium, aliquarum ieiunium alicubi consuetudine sublatum est.

Sed duo obijci possunt. Vnum est, talem consuetudinem malam; vt pote introductam ab hominibus gulois contra Ecclesiasticam regulam; ideoque eum rationabilis & iusta censeri nequeat, seruandam non esse: sicut nec seruanda est lex irrationabilis & iniusta. Alterum est, quod si homo non excusetur quando primum peccat contra legem: ipsum neque excusari quando perseverat in peccando: quandoquidem perseverantia in præcepti præiudicatione, auget non autem minuit peccatum: vnde ieiunium violantes, si initio peccent, multo magis peccabunt perseverantes in tali violatione: neque per eam excusabuntur à debito ieiunij.

Priori autem respondendum est cum Medina in Cod. de ieiunio quæstion. 8. quamuis consuetudo ad inducendam obligationem rationabilis & iusta esse debeat, sicut & lex, cui æquiparatur; tamen ad tollendam prioris legis obligationem, non esse opus vt sit rationabilis; sed satis est si per tantum tempus inducta obseruataque sit, vt peruenerit ad notitiam Superiorum: qui eam scientes, non contradicunt; etiam si commodè, si vellent, contradicere possent & præiudicatores punire: quod quia non faciunt, merito præsumitur, quod velint rigorem legis amouere. Quocirca illud quod per se facit ad prioris legis amotionem, non tam est consuetudo contraria, quam animus legislatoris tali consuetudini consentiens: ex quo consensu, non ex subditorum arbitrio, pendet obligatio legis: quandoquidem hæc alioqui nihil à consilio differret.

Si vigeas in fine citati cap. Cum tanto haberi; consuetudinem iuri positio non debere præiudicium generare, nisi sit rationabilis & legitime præscripta. Respondet Medina, id esse intelligendum de consuetudine inducta & seruata nesciente Superiore eo, cuius est legem condere & renouare. Ea enim, vt vincat legem contrariam, debet esse iusta & rationabilis ac præscripta per longum tempus; quale est, decem saltem annorum. Secus verò est, de consuetudine inducta & seruata, Superiore sciente & consentiente: quantumcumque enim legis ratio maneat, & ideo contraria consuetudo irrationabilis sit: tamen si in hanc Superior consentiat, lex ipsa vim suam amittit, non vi consuetudinis, vt iam dictum est, sed e consensu Superioris. Qui consensus habebet, eademque intentio obligandi maneret, perseverante simul iusta ratione legis: obediendum esset, nec consuetudo vim

habe.

haberet contra Ecclesiasticam legem, vt nec contra diuinam, de cuius firmitate aliquid participat: iuxta illud quod in cap. Sic omnes distinct. 19. dicitur, omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendas esse tanquam ipsius diuina Petri voce firmatas.

His consentaneè, Medina posteriori obiectioni responderet: rationem procedere, quando durante vitiosa consuetudine, permaneret simul eadem ratio legis & legislatoris intentio obligandi; tunc enim quo diuturnior esset, eò ipse peior esset, & per consequens non excusaret culpam, sed aggravaret. In casu autem, quo non manet eadem Superioris intentio obligatoria, nihil obstat quominus homines, qui initio consuetudinis non excusantur ab inobedientiæ culpâ, excusentur postquam fuerit consuetudo diu continuata; nihil enim cessante tandem intentione obligatoria, quæ prius erat in Superiore.

135.

Tertium documentum est, de quo Azor. in sequent. cap. 19. quest. 2. Si aliqua plena vel semiplena ieiunia sint consuetudine generali in aliqua prouincia, oppido, vel loco recepta, ea quoque in monasterijs & aliorum Religiosorum Collegijs illic constitutis, seruari debere. Sin autem, in ieiunijs consuetudo solum sit particularis, vel laicorum vel Clericorum secularium: ad eam non teneri Monachos vel alios Religiosos. Prior probatur, quia talia ieiunia sunt omnium; ideoque tanquam moribus omnium comprobata, debent in eo loco seruari: sicut & in ipsis monasterijs seruantur dies festi qui consuetudine vsique communi omnium coluntur.

Posterior pars verò (pro qua Paludanus D. Anton. Rosellam & Syluestrum Azor. auferunt) probatur ex eo, quod non idem, sed varius sit modus ieiunij in statu secularium & Religiosorum. Vnde sicut non sequitur: Religiosorum consuetudo est tali tempore ieiunare, aut in ieiunio seruare abstinentiam à talibus cibis: ergo seculares idem facere tenentur: ita nec sequitur Clerici seculares aut laici tali die ieiunare consueuerunt, ergo debent quoque Religiosi ieiunare. Excipiendus tamen est casus in quo hi darent alius scandalum: cum dictum sit à D. Paulo in prior. ad Corinth. 8. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.]

136.

Quartum documentum est, aduenas & peregrinos in ieiunijs teneri consuetudinibus indigenarum & incolarum apud quos commorantur & habitant, aut ad quos cohabitandi causa uenerunt. In hoc omnes consentire notat Azor. in eod. c. 19. q. 4. Probatur autem aperte per ca. Illa autem distinct. 12. ubi habetur illud celebratum responsum D. August. datum à D. Ambrosio. Cum Romanam uento, Sabbathum ieiunio, cum Mediolani sum, non ieiunio. Sic tu ad quamcumque Ecclesiam fortè ueneris: eius morem serua. Vnde extat versus quem ibidem glossa citat.

*Si fueris Romæ Romano uisito more,  
Et sis alibi, uisito sicut ibi.*

A n idem sit dicendum de viatoribus, teneri inquam consuetudine ieiunandi illorum, per quorum loca transeunt, aliter quam commorandi seu habitandi causa; versatur in dubio; cuius cum Azorio ibidem (ubi pro utraque parte auctores referunt) uideatur sequenda pars negans tanquam mitior: præsertim cum ei nulla sufficiens ratio refragetur; debet tamen abesse occasio scandali, ad quam uitandam viator quoque debet incolarum more abstinere. Addit nihilominus Azor. viatorem qui ex lege vel consuetudine suæ patriæ deberet domi à carnibus abstinere, posse illis uti, dum transit per locum ubi nulla est talis lex aut consuetudo: quia pœnæ & onera alicui communitati imposita, non tam facilè (ut pote. odiosa) extenduntur, quam commoditates & fauores.

*De diebus, quibus non est ieiunandum.*

SECTIO IV.

137.

DE posteriori dubio nobis ad explicandum proposito, tenendum est traditione Patrum, quos Bellarmin. commemorat in citato lib. 2. cap. 23. diebus Dominicis & die Natalis Domini, atque toto spatio temporis, quod est inter Pascha & Pentecosten, ieiunandum non esse. De Dominicis habetur prohibitio Melchiodis Papæ in c. Ieiunium de consec. distinct. 3.

De die Natalis Domini habetur in c. finali De obseru. ieiuniorum: Secundum consuetudinem autem Ecclesiæ, propter festi excellentiam, si in sextam feriam aut sabbathum incidit, illo eodem die non abstinetur à carnibus. Denique de spatio temporis inter Pascha & Pentecostè; patet per illud quod habetur ex c. Scire debet, distinct. 76. in eo nec ieiunia coli, nec ad orandum Deum genua flecti, sed iugem & continuatam esse festiuitatem propter Dominicam resurrectionem. Vide textum ipsum lectione dignum, & plura de tota hac re apud Greg. à Valen. in cit. q. 2. puncto 4. & aduerte communem nihilominus Ecclesiæ Latinæ consuetudinem habere ut ieiunetur in vigilia Pentecostes: de qua Azor. in memorato l. 7. c. 13. q. 2.

A duerte quoque prædicta non obstat; quominus Religiosi teneantur seruare suæ religionis statuta de ieiunijs, & alijs abstinentijs, si in memoratos dies incidant prout patet ex cap. Post Pascha distinct. 76. Nec etiam, quominus ex deuotione laudabilè possit quis talibus diebus ieiunare ex cap. finali de obseruatione ieiuniorum. Vnde aduerte adhuc, quod bene loco citato monet Bellarmin. ieiunium in prædictis diebus non esse semper prohibitum; sed solum, si quis in illis, vel ex superstitione ieiunet, ut Monachis faciebant vel ex errore, ut Manichæi & Priscillianistæ: vel ex contemptu Ecclesiæ ut Eustatiani & Aciriani; vel denique cum scandalo aliorum, ut si quis vnam hebdomadam ieiunaturus eligat sine ulla rationabili causa hebdomadam Paschalem; aut vnum diem ieiunaturus eligat diem Natalis domini, aut Dominicam. Quod si quis vel ad carnis tentationem superandam, vel causa corporalis morbi curandi, vel quia uouit ieiunia totius anni, aut mensis integri, non peccabit si tempore Paschali, vel in die Dominicæ; vel etiam in die Natalis Domini ieiunauerit, ut idem auctor addit ex D. Hieronymo, Epiphano, & August. Videri etiam potest Medina in Cod. de ieiunio q. 10.

CAPVT DECIMVM TERTIVM

De necessarijs ad ieiunium Ecclesiasticum.

SVM MARI VM.

- 139 Triâ necessaria ad implendum præceptum Ecclesiasticum de ieiunio.
- 140 Præter quæ ad meritum requiritur ut in statu gratiæ impleatur.
- 141 Extra quem statum, ad quæ alia proficit.
- 142 In omni ieiunio ab Ecclesia instituto abstinentiam est à carnibus.
- 143 Quæ carnes in ieiunio prohibite sint, quomodo cogrosendum.
- 144 In quadragesima ouorum & lactiniorum usus prohibitus, non item in alijs ieiunijs.
- 145 Solutio obiectionum in contrarium.
- 146 Quando teneatur à carnibus abstinere, qui uouit abstinentiam ab otis.
- 147 De ciborum delectu in die ieiunij iudicandum est ex consuetudine regionis.
- 148 Itemque de ratione seruandi ieiunium susceptum ex voto, aut ex Superioris vel Confessarij præcepto.
- 149 Nisi consuetudo sit, quæ ex mera libertate vsurpetur.
- 150 Qui excusantur à ieiunio non excusantur pariter ab abstinentia à carnibus exceptis pueris ante usum rationis, cum de consuetudine carnes eis dantur.
- 151 Vinum sicut, sed iam non est, de numero eorum à quibus abstinentum est in die ieiunij.
- 152 Per ea quæ tantum sumuntur in potum, non frangitur ieiunium: per ea uero quæ tam in potum, quam in cibum sumuntur, frangitur. De quorum numero non sunt caruista & electuaria.
- 153 Samens vinum aut ceruisium aut electuaria in fraudem ieiunij, censendus est frangere illud.
- 154 De vnica refectioe ad ieiunium Ecclesiasticum requisita.
- 155 Decerta hora eam sumendi, pariter requisita.
- 156 Ea pendet ex consuetudine, quæ obtinuit ut merities aliquantum præueniri possit.
- 157 Aliæ causæ ob quas præueniri potest merities.
- 158 Licetum est horam consuetam differre notabiliter, dummodo in eo excessus non fiat in detrimentum spirituale.
- 159 Sine fractione ieiunij in Quadragesima ante recitatam Vesperas, & alias ante recitatam Nonam, refectio memorata sumi potest.

TRIA ex communi consensu Doctorum necessaria sunt ad ieiunium, ut per illud impleatur Ecclesiæ præceptum

ceptum de eo datum. Primum est qualitas ciborum. Secundum est vnica eorumdem, ad refectionem sufficiens sumptio in die: non quod non sit liberum ei qui velit & possit, diem ieiunij sine cibo transigere, sed quod non liceat pluries in eo refectionem sumere. Tertium est competens hora talis sumptionis; quam scilicet non liceat antequam in sumptione cibi: prætergressa autem, quantum velis & possis, concessum sit.

140. Vt vero ipsum sit vitæ æternæ meritorium; requiritur, vt ieiunans sit in Dei gratia, quia si anima illius peccato mortali inquinetur, ieiunium inutile est ad salutem iuxta illud *Isai. 58. Quare ieiunauimus & non aspexisti; humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra* [Quem locum D. Hieron. expendens *lib. 2. contra Iovinianum*, inquit: Non reprobauit ieiunium, sed quale vellet ostendit. Neque enim ventris esurientes accepta est Deo, quam lites & rapina & luxuria destruit,] ad quod confirmandum adfert illud *toel. 2. Sanctificare ieiunium* [Inquiens id esse dictum, vt monstraretur ieiunium sanctificari ceteris operibus. Quod etiam sentiunt D. Gregor. *Homil. 16. in Euangelia* inquit: Ieiunia sanctificare est, adiunctis bonis aliis, dignam Deo ab continentiam ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia, in castum enim caro arteritur, si à prauis suis voluntatibus animus non refrenetur.] Et D. Maximus Taurinensis *Homil. 1. de ieiunio Quadragesimali* ait: Quid est aliud sanctificare ieiunium, nisi ieiunij causa sancta velle, iusta facere, iniqua vitare?]

141. Ceterum quamuis ieiunium existentis extra gratiam, non sit meritorium æternæ salutis; valeret tamen ad multa. ad hoc, vtis qui ieiunat non committat nouum peccatum mortale transgressione præcepti Ecclesiastici. 2. ad macerationem carnis aduersus vitia maximæ gulæ luxuriæ, vt experientia constat. 3. ad acquirendam facilitatem ieiunandi, optandam homini Christiano. 4. ad euadendam cum Dei auxilio innumerabilia mala temporalia; sic enim Sanctos in afflictione constituto populo, ieiunium in dixisse legimus. 2. *Paralip. cap. 20. vers. 3. & 1. Esdras cap. 8. vers. 21. & cap. 4. libri Esdras vers. 16.* Postremo si ex penitentia procedat, præparat hominem ad iustificationem, seu ad peccatorum suorum remissionem à Deo consequendam, iuxta illud *toelis 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, &c.* [Exemplum habes lonæ 3. quod lege: & adde ad eam præparationem spectare, quod mens per ieiunium disponatur eleueturque ad orationem ac dinorum considerationem: hoc enim est quod *homil. 1. in Genesim D. Chrysost. ait* ieiunium apponere animæ nostræ pennas, vt in sublime feratur: qui legendus est, quando fideles ad ieiunium excitandi sunt: vt & Gregor. à Valer. 2. *disput. 9. quest. 2. punct. 2. sub finem*: si agendum sit cum hæreticis negantibus ieiunium esse opus, per quod mercedem mereamur à Deo; aut per quod satisfaciamus Deo pro peccatis nostris, quoad poenam eis debitam: aut quod vsurpare debeamus ea mente vt per illud colamus Deum: in quibus immorati non est huius instituti. De singulis ergo trium illorum, quæ initio proposuimus, dicere aggrediamur.

De qualitate ciborum ad ieiunium Ecclesiasticum necessaria.

#### SECTIO PRIOR.

142. Hæreticorum, præsertim modernorum errores circa ciborum qualitatem, quibus improbant ieiunij ritum ab Ecclesia institutum cum ciborum delectu, bene refutantur: tum ab ijs ad quos remittit *Conar. lib. 4. variarum resolut. cap. 20. mem. 15. tum à Bellarm. in ante citato lib. 2. cap. 3. 4. & 5. & Gregor. à Valentia in memorato puncto 2. §. Secundo controuersum.* Quæ vero de eodem ritu pertinent ad institutum nostrum, exponemus aliquot propositionibus.

1. Prima est, in omnibus diebus in quibus ex institutione Ecclesiæ ieiunare tenemur, abstinendum omnino esse ab vsu carnis. In hac non modo Theologi, sed etiam viri utriusque iuris interpretes conveniunt, teste *Conar. loco citato*: pro qua autoritates antiquorum Patrum & Conciliorum, Azor. adfert in 1. parte *Moralium instit. lib. 7. cap. 10. quest. 6.* Confirmatur vero: tum inductione; aliis enim abstinencia requiritur, tam ad ieiunium Quadragesimale, quam ad alia indicata

ab Ecclesia vt communis fidelium vsus satis ostendit: tum etiam ratione, quam habet D. Thomas 2. 2. *quest. 147. art. 8.* quod ab Ecclesia institutum sit ieiunium ad reprimentas concupiscentias carnis; ideoque in illo ea interdantur quæ in comedendo maximam habent delectationem, simulque hominem maxime prouocant ad Venere; sicut censentur carnes animalium nascentium in terra: quæ quoniam magis conformantur humano corpori, plus delectant, plusque ad eiusdem corporis nutrimentum conferunt. Vnde fit vt ex illarum vsu plus superflua existat, quod vertatur in materiam seminis; cuius multiplicatio maximum est incitamentum luxuriæ. Ea ergo de causa, præcipue à carnibus Ecclesia statuit esse ieiunantibus abstinendum.

143. Ceterum cum dubitatur de carnibus alicuius animalis, an sint ex prohibitarum numero, videndum est quid ferat communis Christianorum vsus: quæ enim communiter comeduntur in die ieiunij, vt carnes limacum, ranarum, testudinum, non sunt censendæ prohibita. Quod si nihil certo sciri possit ex tali vsu, consulendi sunt medici, qui iudicent an talia animalia accedant potius ad naturam piscium, quam cæterorum animalium. Inter cætera autem huius rei indicia, illud esse potest non leue, si extra aquam naturaliter diu viuere non possint: id quod à Ioanne Maiore traditum Azor. in fine eiusdem *quest. sextæ*, proponit vt accommodatum ad cognoscendum quorum animalium carnes non sint in ieiunio prohibita.

144. Secunda propositio est, in Quadragesimali ieiunio prohibitum esse non tantum carniuum vsum, sed etiam eorum quæ ex carne originem habent: vt lactis, butyri, casei, ouorum; in aliis autem ieiunijs, prohibitum tantum esse carniuum vsum. Hanc satis confirmat communis Ecclesiæ consuetudo. Et pro priore eius parte facit, quod in sexta Synodo generali *can. 56.* præcipitur, vt in omni Ecclesia, toto orbe terrarum diffusa, ieiunium Quadragesimale seruetur, abstinendo ab ouis & caseo, sicut & à carnibus animalium; quorum sunt fructus. Pro posteriore parte vero non datur in iure textus, ideoque solum innuam consuetudine, cum D. Thomas 2. 2. *quest. 147. art. 8. ad 3.* Doctores communiter (teste Syluestro in verbo *ieiunium*, num. 15.) eam amplectuntur.

145. Verum potest in contrarium opponi cap. Rogationes, de consecr. distinct. 3. in quo abstinencia cum quadragesimalibus cibis præcipitur in triduo ante Ascensionem Domini. Occurrendam est vero, canonem eum iam esse consuetudine abrogatum, quoad abstinenciam ab ouis & lacticijs. Opponi etiam potest quod in ea. Denique distinct. 4. sic dicitur: Par est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sententiam trahunt originem carnis, ieiunemus, à lacte videlicet, caseo & ouis. Vnde videtur sequi, eo ipso, quod prohibetur vsus carniuum, prohiberi quoque vsum eorum quæ à carne suam originem accipiunt, vt butyri, ouorum & eiusmodi aliorum. Respondendum est, inde tantum colligi, conueniens esse vt in ieiunio abstinenciam à carnibus comiteretur abstinencia ab illis, quæ ex carnibus oriuntur: non autem esse necessarium; quasi aliter facere sit contra rationem, & malum. Non enim ita rem habere patet ex vsitato modo ieiunandi extra Quadragesimam. Et certe prout argumentatur Azor. in eod. cap. 10. *quest. 2.* non continuo sequitur, vt si lex prohibeat quod maius est, simul etiam veterid quod est minus, nisi legislator id etiam exprimat; sicut sexta Synodus generalis in ante citato *can. 56.* expresse prohibet non modo carniuum, sed & ouis & caseo vt in Quadragesima.

146. Aduerte obiter ex Syluestro. in *seq. num. 27.* cum alicui interdicitur vsus ouorum, non censeri consequenter interdicitum esse vsum carniuum: & ita, voue atem abstinenciam ab ouis non teneri ad abstinenciam à carnibus; nisi ita affectus esset cum vouit, vt si abstinencia à carnibus menti occurrisset, eam simul vouisset: nam votum non extenditur ultra vouentis propositum: neque priuans se re minus dilecta, censendus est consequenter priuare se magis dilecta. Si quæras, de ignorante qualiter fuerit affectus dum voueret: respondet idem Sylu. talem non teneri sub mortali abstinere à carnibus; quia tam probabile est (cum neutrum constare possit) quod nõ habuerit, quam quod habuerit eiusmodi affectum. Sequens autem id quod probabile iudicatur, excusatur

- saltem à peccato mortali; cum non agat contra rectam rationem.
147. Tertia propositio est; in praxi quotidiana, de modo ieiunandi quoad delectum ciborum, iudicandum esse ex consuetudine regionis in qua versamur, ut scilicet id seruari debeat, quod fuerit ibi consuetudine legitima præscriptum. Hæc est D. Thomæ in cit. art. 8. ad 3. communiter recepta, ut aliquot alijs pro ea citatis in præced. quest. 1. monet Azor. Probatur verò; quia quidquid de tali modo præcipitur, cum illud sit iuris tantum humani, potest consuetudine legitima: siue relaxati, ut cum alicubi consuetudo obicit, ut in Quadragesima ieiunantes butyro & lacte vescantur: siue restringi, ut cum alicubi in diebus ieiunij extra Quadragesimam, non alij quam quadragesimales cibi permittuntur.
148. Hic obiter aduerte cum eodem Azorio in quest. 2. sub finem: ieiunium quod certo die suscipitur, siue ex voto, siue ex impositione Confessarij, siue ex mandato Superioris, siue ad lucrandum aliquod Iubilæum, seruari debere eo ritu & modo quo iuxta populi aut gentis consuetudinem ieiunia Ecclesiastica extra Quadragesimam seruari solent: quia probabiliter creditur taliter à nobis seruanda iungi, indici, aut voueri, qualiter sunt in more posita in loco ubi degimus, nisi aliud determinetur.
149. Quarta propositio, continens præcedentis aliquam moderatorem, est, vsum vel abstinentiam ciborum in die ieiunij, cum ex mera libertate vsurpantur, non transire in consuetudinem, quæ habeat vim relaxandi, aut restringendi Ecclesiæ præceptum de ciborum delectu in die ieiunij: hæc patet ex eo quod notat Syluester in verbo consuetudine, num. 19. in ijs quæ sunt meræ libertatis, seu quæ sunt absque vlla intentione se ad eadem obligandi in posterum; non inducere consuetudinem quæ tanquam legis robur habens, obliget: pro ut patet inductione. Nec enim is qui ex mera libertate, absque intentione vlla obligandi se, peregrinos excipit in sua domo: nec ille qui vrbianitatis solum causa, aliquod munus quotannis domino suo dat, inducit consuetudinem, ipsum ad tale quid obligantem in perpetuum: & sic de similibus. Vnde, ut à Soto notatum est in 1. de iustitia & iure quest. 7. art. 2. ante solutionem argumentorum, consuetudines introductæ: autem ex populi deuotione, pioque affectu, non sunt obligatorie. In quarum numero ille ponit consuetudinis seruandi nonnulla festa & ieiunia; quæ ob defectum intentionis inducendi obligationem, non obligant; nisi succrescente deuotione, postea transferint in præceptum consensu populi, vel Superioris mandato.
150. Quinta propositio est; eos qui non tenentur ieiunare ob ætatem, vel laborem, vel aliam iustam causam, teneri abstinere à carnibus, & alijs cibis in die ieiunij prohibitis. Hanc ex Archid. habet Syllus in verbo ieiunium num. 17. eamque probat Caiet. ad 2. 2. D. Thomæ quest. 147. art. 8. ex communi Christianorum consuetudine, quæ præcepti Ecclesiastici de ieiunio interpreti censeri debet. Exciipiendi tamen sunt paruuli, qui nondum aut vix attingerunt vsum rationis, quando religionis consuetudo fert, ut eis siue lacticia, siue etiam ova, immò & carnes in cibum dentur: talis enim consuetudo offendit, neque ea ex parte ad illos extendendum esse præceptum ieiunij.
151. Sexta propositio est, licet vinum olim fuerit de numero rerum quæ in die ieiunij sumi prohibentur nunc tamen non esse. Hanc consuetudo confirmat quæ olim quidem fuit, ut à vino sicut à carne abstineretur in die ieiunij prout aliquot Patrum auctoritate ostendit Azor. in cit. cap. 16. quest. 7. nunc tamen ea est in contrarium: siquidem in more positum est, ut perinde ac piscibus, leguminibus & fructibus vtamur vino in die ieiunij. Immo etiam liberius, cum in die ieiunij non possit quis vti illis plusquam semel in die, nec ante certam horam iuxta post dicenda: possit autem vti vino, sicut & cæteris quæ sumuntur tantum in potum. Quæ doctrina est D. Thomæ in præced. art. 6. ad 2. communiter recepta teste Nauarr. in Enchirid. cap. 21. num. 13. Pro qua facit, quod abstinentia à potu non sit de natura ieiunij Ecclesiastici, sed sola abstinentia à cibo, ut patet tum ex illius definitione tradita in præcedenti hum. 125. tum ex communi Ecclesiæ vsu.
152. Aduerte autem dictum esse, tantum in potum, quoniam quæ in potum pariter & in cibum sumuntur, in numero cibo-

rum ponuntur ex Palud. in 4. distin. 15. quest. 4. art. 4. conclus. 3. cuiusmodi censet esse, tum fructus, ut cæralia, poma, pira, & nucæ, quia loco refectionis sumuntur in prandio & cenarum etiam herbarum, quibus aliqui sancti Patres, & illi qui ante diluuium vixerunt, vitam sustentarunt: tum demum potus, quando conficitur ex illis quæ consueverunt sumi in cibum, ut iusculum confectum ex amygdalis, aut illis rebus contritis, vel concoctione resolutis; quod ille vocat brodium. Nonitem potus ille, qui vel non conficitur ex comestibilibus ut aqua & vinum: vel si conficiatur, non conficitur tamen sumi in cibum ut ceruisia: nec item electuaria: quo nomine Palud. ipse quid intelligat exprimit his verbis: Dico autem omnia huiusmodi quæ consueuerunt sicut species, sumi post prandium ad iuuandam digestionem, etiam si ex talibus confecta sint, quæ per se in cibum sumi consueuerunt: dummodo sic alterata sint per decoctionem vel concoctionem, quod iam non in cibum, sed in cibi adiutorium ab vtriusque communiter sumantur, ut in dactylis & nucibus confectis contingit.] Hæc ille.

Cæterum non puto acquiescendum Nauarr. loco cit. dicenti licitum esse bibere vinum sapius in die ieiunij: quamuis quis ad sustentandum se, & famem sedandam bibat. Namque ea ratione frangi posse ieiunium Doctores non contemnunt sentiunt, nec sine ratione, quidquid ipse dicat. Illi sunt Richard. in 4. distin. 15. art. 3. quest. 7. ad 2. D. Anto. 2. par. tit. 6. cap. 2. §. nono, Rosella in verbo ieiunium, num. 5. Qui duo posteriores, primi illius verba ista referunt: Quamuis aliqui dicant, quod bibere vinum in mane vel ceruisiam, & comedere electuaria in sero delectationis causa, frangat ieiunium credo tamen contrarium: quia quamuis talia aliquo modo nutiant, in hoc tamen non est vltus principalis illorum: alias, frangeret bibens vinum vel ceruisiam in collatione, quia aliqui habent de nutrimento. Si tamen homo in mane ceruisiam biberet, non ad extinguendam sitim sed famem: & etiam in sero magnam acciperet electuarium quantitatem ad subueniendum fami, credo quod talis faceret frangere statuto: & consequenter frangeret: quia legem frangit, qui in fraudem legis aliquid facit.] Horum sententiam approbat Azor. in cit. q. 7. sub finem. & ante eum Abulensis ad cap. 6. D. Mar. h. & Med. q. 164. Cod. de ieiunio, q. 11. vers. In his. Verba sunt. Siue quis ante cibum, siue post cibum bibat semel vel pluries, non frangat ieiunium; dum tamen non fiat in fraudem: scilicet ut per hoc aliquo modo sustentetur homo, & cesset afflictio, quam inducit ieiunium. Nam tunc non solum perit meritum ieiunij: sed etiam mortaliter peccat si faciens.] Medinæ vero ista sunt: In fraudem ieiunij dicitur quis electuaria, aut medicinas, aut etiam vinum, aut fructus aliquos extra refectionem sumere, quia per modum refectionis, aut comestionis sumit, ut inde corpus nutritionem sumat, & ventris fames expellatur: tunc enim nomine refectionis venit huiusmodi sumptio intelligenda. Qui enim in fraudem legis aliquid facit, non minus; quam si contra legem faceret, peccat: nam facere contra legem, est facere quod lex prohibet: facere autem in fraudem legis, est cum quis talis verbis legis, eius sententiam circumuenit. ff. de legib. lege contra legem, & sequenti.] In exemplum adferi Monachum, qui habitum suæ religionis non dimittit quidem, sed superius habitu Clericali regit, & ita incedit. Quem (inquit Medina) Doctores dicunt non minus apostatam esse, quam si habitum ex toto dimitteret. Item exemplum tutotis, cui prohibitum est rem pupilli emere, & aliam personam submittit, ut emat. Vnde concludit, eum qui ultra vicam refectionem aliquid sumit per viam comestionis seu refectionis, id sumere in fraudem legis de ieiunando. Cui rationi non satis video quid responderet Nauarrus, negans idoneam esse rationem pro memoratis auctoribus.

De vnicâ refectione corporis, & hora illius ad ieiunium Ecclesiasticum requisita.

#### SECTIO POSTERIOR.

PRÆTER abstinentiam de qua dictum est, sub præceptum ieiunij cadit modus, quo ea determinata est ad vnicâ refectionem corporis in spatio temporis ab vna media nocte ad

alteram proximè sequentem; quæ non debeat ante certam diei horam sumi. Atque de vnica refectione nullus datur in iure textus expressus. Quod enim Capitulum Quadragesimæ de Consecr. distinct. 5. pro eo citari solet, distinctio memorata in eo, inter diem Dominicam & alios Quadragesimæ dies, cum ea non sit in delectu ciborum, debeat esse in numero refectionum, quæ plures liceant in Dominicis non item in aliis diebus Quadragesimæ. Id merito Couar. improbat in lib. 4. Variarum resolut. cap. 20. num. 11. quia cum non sit diebus Dominicis Quadragesimæ prohibitum sepius quam bis corpus reficere; adhuc manere potest distinctio ab aliis diebus, etiamsi dicatur in his licita esse, duplex relectio. Et verò quod Medina notat in Cod. de ieiunio quest. 1. versus ieiunium Ecclesie vniversalis consuetudo & communis literatorum doctrina, ieiunij conditionem sic interpretatur, vt non nisi semel in die sit comedendum. Atque Syluester in verbo ieiunium, num. 9. ait eam esse communem Theologorum sententiam, propter vniversalis Ecclesie consuetudinem, quæ habenda pro lege, obtinuit vt in die ieiunij semel tantum comedatur: ita vt fideles communiter conscientiam faciãt, pluries comedere. Adde cum esse omnium consensum teste Couar. loco citato: idemque à D. Thoma secunda secunda quest. 147. art. 6. proponi tanquam constitutum ab Ecclesia, & à populo receptum.

De certa hora sumptionis cibi, quam ieiunium Ecclesiasticum tanquam necessariam conditionem ita requirit, vt illam præuenire sit ieiunium ipsum frangere, citatur cap. Solent de Consecr. distinct. 5. in quo dicitur quod nullatenus ieiunare credendi sunt, qui ante manducauerint, quam officij vespertinum celebretur. Vnde D. Thomam in seq. 7. & cæteros Theologos communis consensu adductos esse, vt existimarent horam nonam, id est, tertiam post meridiem, ieiunantibus præscribendam esse sumendæ suæ vnice refectioni, notat Couar. in sequ. num. 14. De qua re ipse pluribus vt Et Azor. in cit. lib. 7. cap. 11. quem qui vult videat. Satis enim est nobis duo arguisse: vnum ab eodem Couar. relatum ex Panor. ad rubricam De obseruatione ieiuniorum: nullibi in iure statutum esse ieiunantibus horam sumendi refectionem pro illo tempore, quam pro Quadragesima: sed communem consuetudinem, in aliis quoque ieiuniis eandem horam præscripsisse; eo quod conueniens esset horam Quadragesimali ieiunio constitutam, in illis seruari. Alterum est, quod idem Couar. ex proposita D. Thomæ opinione deducit, probabile esse, adhuc ipsius D. Thomæ tempore, nempe ante trecentos annos, viguisse antiquam consuetudinem non sumendi cibum in die ieiunij ante horam tertiam postmeridianam, quod etiam notat Caiet. in verbo Ieiunium non longè ab initio.

Cæterum quia tota hæc res iuris est humani, vt idem Couar. post Caiet. ad cit. D. Thomam art. 7. & alios bene notat, consuetudine mutari potuit; ita vt quod prius eratius, inquit Caiet. non sit amplius de iuris necessitate; & quod prius nefas erat, licitum postmodum sit. Quia igitur consuetudo, quæ ius humanum abrogare potest, iam obtinuit, vt hora tertia pomeridiana præueniatur, & circa meridiem prandatur (sicut & quod ante ipsam meridiem preces vespertine in Quadragesima recitentur) id sine periculo transgressionis præcepti Ecclesiastici seruari potest. Pro qua re plures auctores Azor. adfert in cit. cap. 11. quest. 1. sub finem: quibus accedunt Caiet. In verbo ieiunium & Medina in Cod. de ieiunio ille cap. 1. & hic quest. 1. in fine, & quest. 6. in principio. Immo vbi consuetudo patriæ fuerit, vt meridies præueniatur, ea seruari potest, argumento cap. Consilium. De obseruat. ieiuniorum. Sicut ibidem Azor. ait iam seruari, vt seculares quidem hunc meridiem præueniant vnâ horâ, & æstate duabus ferè horis. Religiosi verò in hyeme, aut meridiem retineant, aut semihorâ, vel etiam vnâ horâ præueniant: & æstate vel vnâ horâ integrâ, vel vnâ horâ cum dimidiâ. Neque, vt idem addit ex communi Doctorum consensu, computanda est meridies secundum exactum Astronomicum calculum, sed secundum horologia vñtata inter homines; & vt loquitur Syluester in verbo ieiunium, num. 12. grosso modo.

Certè si generalis consuetudo regionis facere potest cibos licitos in ieiunio, qui alias sunt illiciti, potest etiam face-  
re vt hora comedendi in ieiunio præscripta anticipetur; quia

hoc tam non est de se malum, quam nec illud. Qui etiã præter consuetudinè, plura possunt exculare talem anticipationem; quæ Abulenſis commemorat ad cap. 6. D. Matth. quest. 172.

Primum est, conditio regionis, puta quod dies in ea sint valde longi, vt octodecim aut 20. horarum: vnde fiat vt fiat meridiem vsque ieiunium sine cibo protrahatur, natura valde debilitetur, quod non est intentionis Ecclesie. Secundum, est conditio temporis, nempe quod in tali regione magni calores vigeant; aut alia contingere solent, propter quæ malè habeat homo ieiunus. Nam illic expectare meridiem necesse non est, sed cibus potest sumi eâ horâ quæ exigitur vt natura sine nocimento conferuetur. Licet enim Ecclesia per ieiunia nos aliquantisper affligere incedat, vt pro peccatis satisfaciamus: non intendit tamen debilitare naturam, neque nocere; quod esset contra charitatem, cui ieiunia non sunt præponenda, vt ex D. Hieron. habetur in cap. Non mediocriter, De consecr. distinct. 5.

Tertium est, conditio personatum: quibusdam enim valde nocuum est diu manere ieiunus, vt cholericis, & valde resolubilibus, id est, quos facile est exhaustos languidosque reddi diuturniore ieiunia.

Postremum est, negotiorum & operationum opportunitatibus; quibusdam enim ieiunantes tempus refectionis variare. Nam per ieiunium impediri non debent pia opera, quæ tenetur homo facere: quandoquidem ex cit. cap. Non mediocriter: homo rationabiliter dignitatem amittit, qui vel ieiunij charitati, vel vigiliis præfert sensus integritati. Exigentibus igitur causis pijs vel honestis, licitum est ieiunantibus anticipare horam prandij ab Ecclesia præscriptam sine violatione ieiunij Ecclesiastici; saltem qua peccetur mortaliter.

Si queras an neque licitum sit eam horâ notabiliter differre. Respondetur id esse licitum esse communi Doctorum sententia, teste Syluest. in sequ. num. 14. Quinimo vt aliquot alijs citatis habet. Azor. in eod. cap. 11. quest. 5. quo quis tardius distulerit, eo melius ieiunare iudicandus est; dummodo talis dilatio non sit ex superstitione, vt admonent Syluester & Nauarr. ille loco cit. & hic in Enchir. cap. 21. num. 27. vers. 7. Ratioque est, quia quo tardius relectio prorogatur, eò longior est per inedia corporis afflictio & per consequens maior conformitas eam intentione Ecclesie præcipientis ieiunium: ea enim est, vt affligamus carnem, ad eam subiiciendam spiritui & ad satisfaciendum Deo pro peccatis nostris. Qua tamen in re excedendum non est in detrimentum aliquod spirituale, vt bene tractat Abulenſis ad cap. 6. D. Matth. quest. 139. An autem possit cum aliqua vitæ abbreviatione, Medina late in Cod. de ieiunio quest. 13. explicat: concedens de abbreviatione in sensibili, & negans de sensibili; id est, quæ sensus integritatem & mentis puritatem impediatur.

Si adhuc queras, an frangant ieiunium qui in Quadragesima ante Vesperas recitatas, vel alijs diebus ante Nonam recitatas comedunt. Respondet post D. Anton. & Caiet. Nauarrus loco cit. non frangere; etiam si illi qui addicti sunt diuinis officijs, non debeant id facere sine iusta causa.

## CAPVT DECIMVMQVARTVM

De modis quibus violatur ieiunium Ecclesiasticum:  
SVMMARIVM.

- 160 Variis modis violatur ieiunium Ecclesiasticum, ac primò voluntate.
- 161 Deinde opere, quoad meritum, idque multipliciter.
- 162 Opere adhuc tum quoad intentionem, tum quoad substantiam præcepti.
- 163 Ex eo quod quis variis & delicatis cibis abunde vtatur, non frangitur ieiunium, etiamsi peccetur, si non sint cibi vetiti & vnica relectio sumatur horâ debitâ.
- 164 Argumentum contrarium cum solutione.
- 165 Ad ieiunij Ecclesiastici adimplerionem non est necessarium refectionem ita differre aut sic parce cibum sumere, vt fame affligamur.
- 166 Ieiunium Ecclesiasticum non violat, qui per ignorantiam inuincibilem comedit cibum vetitum, aut qui illum præcogitatum paratum pro magno Domino, aut pro agroteo.
- 167 Quid sentiendum sit de eo, qui talem sumit in medicinam.



- 168 Is cui facta est facultas comedendi carnes in die ieiunij, non potest, nisi iustam habeat causam, pluries eodem die refectioem sumere.
- 169 Obiectio in contrarium cum solutione.
- 170 Qui vno genere ciborum vetitorum vti potest in die ieiunij, quando positi & alii.
- 171 Quomodo peccet aut excusetur à peccato is qui habens licentiam comedendi ova, & lacticiam, simul vescitur piscibus.
172. Non frangitur ieiunium odorazione nidoris exhalantis ex carnis.
- 173 Non frangitur ieiunium potu etiam vini, nec esu electuariorum nisi id fiat in fraudem.
- 174 Nec item sumptione aliquantule quantitatis cibi prout fit in preparationibus coquorum aut eorum qui magnis dominis aut agris ministrant.
- 175 Nec item cum is sumitur per modum medicinae, aut ne potus nocet, vel ut vitetur capitis vertigo, vel membrorum tremor, vel vicia debilitas in iis, qui ut alii in mensa seruiant, diutius refectioem suam differre coguntur.
- 176 Documentum de talibus notandum pro praxi.
- 177 Quando frangat ieiunium qui interruptam refectioem repetit.
- 178 Post secundam refectioem in die ieiunij tertiam aut plures addens, non peccat violatione ieiunij Ecclesiastici.
- 179 Obiectio in contrarium, cum solutione.
- 180 Dispensatus in vnica refectioe, non modo sumens secundam, sed etiam tertiam & quartam, excusatur à peccato violationis præcepti de ieiunio etiam si peccet contra temperantiam.
- 181 Sive vnum sive diuerso numero peccat a sint, quæ committuntur pluries comedendo in diuersis diebus ieiunij; exprimensus est in confessione, eorumdem dierum numerus.
- 182 Dispensato ad bis comedendum in die, non licet eo ipso anteuertere horam determinatam ieiunanti.
- 183 Qui antevertit horam refectiois in die ieiunij, tenetur seruare cetera quæ sunt de obligatione.
- 184 Consuetudo rationabilis & prescripta facit licitam collationem in die ieiunij, etiam si eam non excuset necessitas, aut quantitas paruitas.
- 185 Documenta, quibus declaratur quæ ciborum quantitas, & qualitas, ieiunantibus permittatur in serouina collatione.
- 186 Quomodo tempus serouinum collationis possit mutari in matutinum.
- 187 Ieiunium Ecclesiasticum non potest vnus implere per alium, nec ab eo excusari faciendo elemosynam.
- 188 Qui ieiunium Ecclesiasticum omisit eo die in quem incidit, non tenetur alio die illud suscipere.
160. **V**iolari potest ieiunium Ecclesiasticum, tum voluntate, tum opere: & rursum opere, vel quo ad meritum vel quo ad intentionem præcipientis, vel quo ad substantiam præcepti: & hoc adhuc tripliciter (iuxta tria scilicet pertinentia ad eandem substantiam tractata in precedenti capite) vel ut deo cibus vetitis, vel comedendo pluries in die, vel denique horam comedendi notabiliter præueniendo. Voluntate autem dicitur quis ieiunium Ecclesiasticum violare, cum seruat quidem tria illa quæ sunt de ipsius necessitate; sed carnis aut aliis cibus vetitis vteretur, vel pluries in die comederet, si commoditatem haberet, vel horam ieiunantibus determinatam præueniret, si posset.
161. Opere verò, quo ad meritum violare dicitur, qui seruat quidem omnia quæ in ieiunio seruati iussa sunt, sed cum meriti diminutione; quæ infinitis prope modis contingere potest, ex accidentibus nostrarum actionum: aut etiam sine merito, ut cum quis ieiunat ob vanam gloriam; aut ob alium indebitum finem: aut cum prauo aliquo affectu, cui cum mens seruit, ieiunium nihil prodest, ut dicitur in cap. Nihil, De consecrat. distinct. 5. Et ratio est quia non placet Deo ex. cap. 58. Isaiæ. Aut demum cum ieiunat indebito modo; siue excedendo in abstinentia, ut cum tam immoderatè sibi subtrahit cibum, ut corporis vires arterantur, nec debita proximo charitatis obsequia exhibere possit. Quale ieiunium D. Hieronymus relatus in cap. Non mediocriter, De consecr. distinct. 5. reprehendit: siue deficiendo in abstinentia, per quod committitur peccatum gulae, contingens quinquæ modis relatis in c. Quinque. De consecr. distinct. 5. Quorum primus est, cum quis præuenit tempus comedendi: qui modus cum, iuxta

antedicta pertineat ad substantiam ieiunij; plenius in sequentibus considerabitur. Secundus est, cum plus quam debet comedit quis, etiam de cibo non vetito; excedens quantitatem, quam pro sua conditione prudens in materia temperantiae præscriberet illi. Id enim quod vni est parum, alteri potest esse nimium, vel contra ex Aristot. in 2. Ethicorum. Tertius, quando quis plures cibos querit, quam ei expediat, & illos vult habere delicatos, vltra necessitatem suam. Namque secundum conditionem personæ & status, quibusdam conuenit plures aut delicatiores cibos sumere, quam aliis: Neque enim diuites adstringuntur non vlt pluribus neque delicatioribus cibis, quam pauperes ex cap. Non cogatur distinct. 41. Immo dantes in opibus necessaria, possunt ipsi vlt preuolus, & dare illis vltia, vt ibidem dicitur. Quartus est, quando quis comedit aliquid cum magno ardore & voracitate; quod vituperabile esse, quantumcumque cibis vltissimus sit, habetur ex cap. Qui quis. & cap. Deliciae. & ex cap. Quod dicit, distinct. 41. Quintus modus est, quando quis cum magna cura & sollicitudine cibos sibi parat vltra conditionem & statum personæ suæ; quod in ieiunantibus reprehendit D. Gregor. relatus in cap. Denique, distinct. 4. illis verbis: Qui à carne abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum conuiuia præparent. Que reprehensio non procedit quo ad eos, de quorum salute cura magna est gerenda, eo quod publica vtilitas ex eorum vita pendeat.

Potro violare ieiunium opere, quo ad intentionem præcipientis, est seruare quidem omnia quæ sunt de substantia præcepti ieiunij, non tamen accomodate ad consequendum finem, quem Ecclesia intendit præciendo; quo modo violant qui ieiunant cum nimio ciborum etiam licitorum apparatus, quæ reudent in illis corporis delicias: cum ieiunium ab Ecclesia introductum sit ad corporis afflictionem. Itemque qui vtuntur eorumdem ciborum superfluitate, quæ parit luxuriam: cum ieiunium introductum sit ad comprimendam carnis vitia. Similiter & qui inebriantur: cum ex cap. Denique distinct. 4. vinum bibere ita permittatur in ieiunio, vt ebrietas omnis fugiatur. Item qui immoderatè ieiunant: nempe cum notabili damno vitæ corporalis vel spiritalis. Nam ad tale ieiunium neminem Ecclesia intendit obligare: vt argumento est quod infirmos à ieiunio excuset. Videri potest Med. in Cod. De ieiunio quest. decima tertia. Item qui vitis vacant, ad quæ comprimenda & virtutes stabilendas institutum est ieiunium iuxta illud, Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. Denique violare ieiunium opere, quo ad substantiam præcepti, est aliquid illorum trium quæ diximus necessaria ad ieiunium Ecclesiasticum, non seruare: nempe vel prohibitis cibus vesci, vel sepius in die reficere corpus, vel horam refectiois præuenire. Totigitur modi sunt quibus violari potest ieiunium Ecclesiasticum; de quibus aliquot dubia mouentur spe æantha ad praxim.

**D**VBIA DE RE PROPOSITA, quorum primum est, An ieiunium Ecclesiasticum violat, qui etsi à cibus vetitis abstineat, semelque tantum in die comedat, nec horam præscriptam anticipet, tot tamen cibariis & condimentis vitur, sic ventrem replet, vt non modo carnis afflictionem sentiat, sed gulam impensissime irruet in libidinem excitet.

**H**oc proponit Couar. in lib. 4. variarum resolut. cap. 20. nu. 11. & in vtramque partem Authores & rationes afferit, nec habet quid certò statuat.

Tenere autem possumus negantem, in quam ille, vt benigniorem, magis propendet: & quam præter Innocentium Med. & Caiet. quos ille citat, tenet Abulensis ad cap. 6. D. Math. quest. 166. eam sic probans: Cum ieiunium sit ab Ecclesia statutum, non alter ipsum frangimus, quam agendo contra id ipsum statutum. Ecclesia autem nihil aliud de ieiunio statuit, quam vt semel in die, certa hora comedatur; & à quibusdam cibus abstineatur. Quandumque ergo quis semel tantum in die, hora præscripta comederit, & à cibus vetitis abstineat, quidquid aliud comedat, vel bibat; siue moderatè, siue immoderatè, & siue delectabiliter, siue aliter, non frangit ieiunium Ecclesiasticum. Attamen, vt ille bene addit, potest inde perire meritum ieiunij in totum vel in partem, secundum conditionem excessus minuents laborem ieiunij, ex quo

pendet

pendet meritum: iuxta illud prioris ad Corinth. ca. 3. Vni quisque accipiet propriam mercedem secundum suum laborem. Poterit etiam talis interdum peccare moraliter: vt si excessus magnus sit, qui etiam in non ieiunantibus increpabilis esset. Quamquam per id non iudicabitur ab Ecclesia transgressor ieiunij: neque ex eo capite punietur à Deo, sed ex alio, nempe quod peccauerit peccato gulae excedendo in quantitate aut qualitate cibi, vel alio modo num. 161. ante proposito ex cap. Quinque. De consecr. dist. 5.

Pro parte verò affirmatiua, duo potissimum faciunt quæ Couar. vrgit, nec soluit. Alterum est quod præcepta sint potius seruanda secundum intentionem præcipientis, quam secundum verborum formam; per regulam 88. iuris in Sexto, quæ habet: Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Sed Ecclesiæ præcipientis ieiunium, in intentio est, vt fideles corpora sua doment ad comprimenda vitia, affligantque se ad satisfaciendum Deo: quod constat non fieri, cum illo excessu proposito. Quare nec cum eodem ieiunium feruatur. Alterum est quod ieiunium Ecclesiasticum sit actus temperantiae: ideoque nihil admittit per quod virtutis modus tollatur. At ieiunium per propositum excessum degenerat in gulam temperantiae contrariam. Ad prius autem respondendum est distinctione, qua vitur Medina in Cod. de ieiunio, quest. 6. in fine. Præcipientis enim intentio, quædam est obiectiua, quæ respicit id, ad quod ille obligare intendit: & quædam finalis, quæ respicit finem seu effectum, quem vellet ex obedientia, & talis præcepti obseruatione, prouenire. Ratio igitur allata ex regula iuris procedit de intentione obiectiua, secundum quam præcepta sunt obseruanda: non autem de finali: quia præcepta non dantur de fine, sed de illis quæ ducunt ad finem. Vnde, vt bene loco cit. notat Abulensis, quamuis finalis intentio condentis leges civiles sit, ex Aristotele in 2. Ethicorum, facere ciues bonos; non censentur tamen eas violare qui sic obseruant vt boni non efficiantur; quod fere contingit obseruantibus timore tantum peccæ, non virtutis amore.

Ad posterius dicendum est, ieiunium Ecclesiasticum dici actum temperantiae; non quod Ecclesia illud præcipiat moderatum omnibus conditionibus virtutis temperantiae; sed quod aliquibus, nempe illis, de quibus ideo potuit dari generalis regula, quod vt plurimum homines possent in eis inter se conuenire: vt sunt tres illæ; abstinere à carnibus, ouis, & lacticiis: semel tantum in die; & non ante certam horam comedere. Cur verò non præcipiatur ieiunium aliis quoque temperantiae conditionibus moderatum, præsertim debita quantitate & qualitate ciborum, bonam rationem reddit Abulens. in sequen. quest. 172. sub finem: quia tales nequeunt præcepto determinari, propter discrepantiam, quæ in hominibus quo ad eas cernitur. Nā passim contingit vt quod vni multum est, alteri paucum sit, & quod vnus cibus vilibus vti possit, alteri delicatioribus sint necessarij.

Dubium secundum, An in die ieiunij refectio differenda sit, quousque homo per esuriam affligitur, parceque refectioem sumere oporteat, vt per esuriam homo afflictionem sentiat.

De hoc rationes in vtramque partem proponit Med. in Cod. de ieiunio quest. sexta, negantemque tenet; tum quia talis afflictio non est expressa in præcepto Ecclesiæ de ieiunio. Quare hoc sine illa seruari potest vt patet ex dictis num. 163. tum quia alioqui vnus teneretur ieiunare vsque ad meridiem alius vsque ad vesperam, alius toto die nihil comedere: cum constet alios citius, alios tardius esurire. Id autem nemo affirmauerit, videns communem consuetudinem esse in contrarium neque ab Ecclesia reprehendi. Rationes autem pro parte affirmante bene soluuntur ab eod. Medina: neque difficultatem habent, si satis capiuntur dicta in explanatione præcedentis dubij; atque notetur afflictionis nomen sumi non tantum pro dolore, quo quis formaliter & de facto affligitur: sed etiam pro eo quod talem dolorem aut infert, aut infert aptum est. Notetur præterea quod Levitic. 16. & alibi sacra scriptura requirit, vt in diebus ieiunij affligamus animas nostras, non intelligi de afflictione sumpta priore modo, quo est passio quædam nata sequi ex aliquo actu afflictiuo, non verò à libera nostra voluntate elici,

aut imperari: adeo vt sub præceptum cadere nequeat: id intelligi de afflictione posteriore modo, quæ sita est in nostra potestate. Quod idem est ac si dicamus non requirere à nobis esuriam natam sequi ex abstinentia à cibo, cum ea non sit in nostra potestate: ed requirere ipsam abstinentiam, quam assumere nobis est liberum.

Dubium tertium, An quocumque vsu ciborum prohibitorum violetur ieiunium Ecclesiasticum.

Ad hoc respondetur aliquot propositionibus. Prima est: non violari, cum quis carnem vel alium cibum vitium in die ieiunij comederit per ignorantiam seu inadvertentiam inuincibilem. Ratio est, quia talis ignorantia excusat à peccato inobediencie: quæ non contingit vbi deest aduerentia rationis ad id quod sub præceptum cadit.

Secunda propositio: Neque violari ab illis qui magnis dominis, aut ægris, tales cibos præparatos prægustant: vel vt iidem domini sibi caveant à toxico; vel vt ægri habeant accommodatos. Ista est Palud. in 4. distinct. 15. quest. 4. art. 4. sub finem: qui addit procedere quantumvis sic prægustantes deglutiant. Est etiam Abulens. ad cap. 6. D. Matth. quest. 171. quibus obicit Nauarr. in Enchir. cap. 21. nu. 13. Addens id procedere, etiam si prægustatio fiat mane, & in Quadragesima; & res prægustata sint oua, vel carnes. Probat autem quia talis sumptio cibi non instituitur ad reficiendum corpus, sed ad satisfaciendum obsequio quod dominis & ægris debetur, quod Ecclesia non interdit impedire.

Tertia propositio est; neque violari ab illis qui aliquid talium ciborum sumunt in medicinam. Hæc (etiam si Nauarr. loco citato eam, sicut præcedentem absolue admittat) videtur cum Abulens. in præed. quest. 168. limitanda. Nam medicina à la. è dicitur de omni eo quod confert ægris ad sanitatem, quocumque modo conferat. Strictè verò, tantum de eo quod dicitur contra morbum sumitur: prioreque modo quo cibus omnis quem ægri sumunt secundum præcepta Medicorum potest medicina vocari, ieiunium frangitur sumptione medicinæ: alioqui assendum esset seruari nec frangi ieiunium ab eo qui consilio medici ad conseruandam sanitatem labefactioni obnoxiam, peccinde velletur carnibus in die ieiunij, ac in aliis diebus. Id quod absurdum est: quia talis non minus reficit corpus cibus, in die ieiunij veritas, quam aliis diebus: quod fieri, præceptum Ecclesiæ vetat. Quare ipsum violatur non obstante necessitate conseruandi sanitatem: quæ tantum facit vt violans excusetur à peccato inobediencie, in quod aliqui incurerent: perinde ac ille ab eodem peccato excusatur, qui talem cibum ideo comedit in die ieiunij, quod non possit alium habere quo vtatur ad vitæ & virium corporis conseruationem.

Posteriore autem modo, quo medicina vocatur id quod sumitur tantum vt contrarium morbo, nec in cibum commaniter sumi consuevit, aut si consuevit non tamen in tantum modica quantitate, non frangitur ieiunium sumptione medicinæ: cum talis non sit instituta ad alimentum corporis, sed ad expulsionem morbi. Hinc in praxi pro documento haberi potest, quod idem Abulens. habet. Ægrum sumentem medicinam vt sanetur ab ægitudine qua laborat, vel qua se in propinquo laboraturum merito timet; non frangere ieiunium: siue ante, siue post prandium sumat. Sumentem verò solummodo ad conseruandam sanitatem, nullam actu patiens ægitudinem, nec aliquam vt propinquam timens, frangere ieiunium si talis sit medicina quæ modum habeat cibi.

Quarta propositio est; probabile esse, quod is cui ob corporis infirmitatem, consulto medico concessa est facultas edendi carnes in die ieiunij, eo ipso non sit in totum solutus obligatione ieiunandi illo die. Hæc est contra Azorium & alios, quos ipse citat in contrarium 1. part. Moral. Instit. lib. 7. cap. 10. quest. 3. et 4. Ad eius autem confirmationem facit regula communiter approbata, vt habet Medina in Cod. de ieiunio quest. 5. vers. In eiusdem sententia. Quod quando alicui fidelis ob causam aliquam permittitur in die ieiunij ab Ecclesiastica regula in aliquo recedere: in tantum id illi permittatur, quantum se extendit talis causæ indigentia.

Vnde si quis habeat iustam causam pluries comedendi, absque hoc quod carnes comedat, abstinere debet à carnibus. Et vice versa, si iustam causam habeat ad comedendum car-

nes, non autem ad plures comedendum, abstinere debet à pluralitate refectio-  
num, licet carnes comedat.

Eandem regulam ex Caietano referens & approbans Na-  
uar. in *Enchirid. cap. 21. num. 22.* infert ex ea, quod dispensatus,  
vt pluries in die ieiunij comedat, non dispensatur vt vescatur  
carnibus: sic & nos pariter inferre possumus dispensatum vt  
carnibus vescatur, non dispensari vt pluries in die comedat.  
Nam confessione Azorij in fine eiusdem quaestio-  
nis refectio perinde est de natura ieiunij Ecclesiastici, ac absti-  
nentia à carnibus. Quod & ratio docet, quia non minus il-  
lam quam hanc, lex Ecclesiastica praecipit atque aliquid esse  
de natura ieiunij Ecclesiastici inde censetur, quod lex Eccle-  
siastica de ieiunio, ipsum praescribat. Accedit quod idem  
inquirens in sequent. *cap. 11. quaestio. 6.* An qui Pontificis pri-  
uilegio potest horam ieiunij debiti praevincere, sit eo ipso iei-  
unij lege solutus: responder ex communi omnium senten-  
tia, nequaquam esse: quia is qui ieiunij lege soluitur ex par-  
te, non est ex toto solutus. Cum enim talis lex plura conti-  
neat, idem sit ab illa soluto contingit, ac et qui ab vna lege  
exemptus est beneficio Principis. Non enim eximitur eo ip-  
so à ceteris.

169. Sed obicit ille, & ante eum Caiet. 2. 2. quaest. 147. art. 8.  
consuetudinem habere, vt is cui facultas conceditur com-  
edendi carnes, non solum prandeat, sed etiam cœnet sine  
scrupulo. Quibus occurrendum est, eam consuetudinem lo-  
cum habere tantum, cum quis iustam habet causam, non so-  
lum comedendi carnes sed etiam pluries in die comedendi:  
alioqui melioris conditionis esset is, qui non seruat plene  
ieiunium, quam is qui seruat: quandoquidem in eo pares  
sunt, quod neutri iustam causam habeat pluries in die come-  
dendi, & impares in eo, quod ille excusetur à peccato, si plu-  
ries comedat, hic non item. Neque sufficiens ratio disparita-  
tis potest esse dispensatio, quæ nulla est in Ecclesiastico iei-  
unio, si derur sine iusta causa ab eo qui inferior est Papæ. Neque  
in dubio praesumi debet dari à Papæ; ne ipse in destructione,  
non in ædificationem potestare sua vt videatur in re tanti  
momenti, quanti est ieiunium Ecclesiasticum iam inde ab  
Apostolorum temporibus in Ecclesia institutum, & magna  
religione seruatum. Accedit, quod ratio quæ authores eos  
mouet negare, ei cui facta est facultas anticipandi horam cœ-  
næ, factam pariter esse pluries comedendi, mouere par-  
titer debeat ad approbandam nostram propositionem. Etsi  
enim abstinentia à carnibus censeri possit præcipua conditio  
requisita ad ieiunium Ecclesiasticum: non completitur  
tamen duas reliquas, quæ tanquàm diuersi ordinis, nec ei sub-  
ordinate (sicut est abstinentia ab ouis & lacticiis) expressæ  
sunt in præcepto ieiunij, ita vt pertineant ad huius substan-  
tiam, independentem ab illa.

170. Quinta propositio est, Eum cui sit potestas comedendi o-  
ua in Quadragesima, tunc posse vti caseo, butyro, & lacte.  
Hanc Azor. approbat in *primis cir. capit. 10. quaest. 4.* tum quia ex  
lacticiis illis solent oua apparari; tum quia illa omnia eius-  
dem sunt ordinis in hoc genere, vt pote quæ eadem de causa  
prohibentur in Quadragesima: nempe, quia trahunt origi-  
nem ex carne. Vnde vno concessio censeri possunt cætera cœ-  
næ, tanquam non aliter, quam illud prohibita. Cæterum  
bene notat Abulen. ad *cap. 6. D. Matib. quaest. 171. col. 2.* quod in  
hac re attendenda sit consuetudo: quæ si habeat vt vtatur  
solo lacte, vel solo caseo, non licebit vti reliquis; quia con-  
suetudo habet vim legis: sique lex tantummodo permitteret  
lac, aut tantummodo caseum cæteris negatis, non liceret eis  
dem vti.

171. Sexta propositio est, non esse malum ex se, si is cui ex pri-  
uilegio oua & lacticia comedere licet in Quadragesima, vt-  
tatur quoque piscibus. Hæc (de qua consequenter Azor. *quaest. 5.*  
*differit*) probatur; quia talis cibus neque est de se prohibitus,  
neque ex circumstantia illius priuilegij quasi scilicet tale ex  
iusta causa dari nequeat ei, qui sustentari possit cibus in Qua-  
dragesima permittis. Quod non ita est; quia potest fieri vt  
piscis alicui noceant, si solos sumat; non item si cum ouis &  
lacticiis. Item vt si oua tantum & lacticia sumat ad inte-  
gram refectioem corporis, stomachus illa fastidiat; aliquo-  
rum verò piscium esus admixtus exacuat ei appetitum com-  
medendi. Quod si pisces nocerent ipsius sanitati; aut contra  
nullatenus nocerent, non excusaretur à peccato: quia in

priore casu peccaret comedendo pisces in detrimentum sa-  
nitatis: & in posteriori, comedendo oua sine iusta causa con-  
tra Ecclesiasticum præceptum de ieiunio.

Septima propositio est, non frangi ieiunium odorazione  
odoris exhalantis ex carnibus, & alius rebus odorem spirā-  
tibus. Hæc est Abulensis in *precedenti quaest. 167.* quam probat:  
quia talis odor est substantia quædam leuis, quæ non cō-  
uertitur in substantiam odorantis ad illius nutritionem. Nā  
in nutritione fit conuersio cibi in substantiam corporis nutri-  
triti: vt quod in ea deperditum est actione caloris naturalis  
restaretur: id quod tales odores naribus excepti facere  
non possunt; sed solum naturam debilitatam aliquantulum  
confortare & vires eius roborare. Accedit, quod etiam si  
cuiusmodi odor nutritur, non frangeretur tamen ieiunium  
susceptione illius, quæ non est præcepto ieiunij prohibi-  
ta, cum non sit comestio vt pater: & quidquid illo præce-  
pto prohibetur, sit comestio, vel certorum ciborum, vel  
facta pluries quam semel, vel facta ante horam determina-  
tam.

Quartum dubium est, An semper frangatur ieiunium sumendo ali-  
quid extra refectioem vnicam in die ieiunij concessam.

172. Ad hoc respondendum est negatiue. Primum enim po-  
tuit, etiam vini, siue ante siue post eam refectioem, non  
soluitur ieiunium ex communiter recepta Doctorum sen-  
tentia, vt *num. 151. iam ante meminimus.* Et patet, quia de cibi tā-  
tum, non de potus abstinentia datum est præceptum Eccle-  
siasticum. Nec etiam frangitur sumptione electuariorum (quo  
nomine quid intelligatur iam etiam *num. 151. et addidimus*) nisi suman-  
tur in fraudem ieiunij; nam, vt bene argumentatur Abulen-  
sis ad *cap. 6. D. Matib. quaestio. 169.* quamuis electuarium ci-  
bus quidam sit, & aliquo modo nutriat; communiter ta-  
men non sumitur ad nutritionem, sed solum ad bonam dif-  
positionem stomachi, quem confortat, & disponit ad  
digestionem: vnde talis sumptio non est fractio ieiunij,  
cum non sit sumptio cibi (sicut nec sumptio vini aut cereuisie)  
quæ censetur refectio corporis prohibita præcepto iei-  
unij. Veruntamen, vt idem Abulensis addit, si quis sumeret  
electuarium in magna quantitate, vel eo vteretur sicut alius  
esculentis ad extinguendam famem, frangeret ieiunium:  
quia non vt electuarium, sed vt cibum sumeret, faciens legi  
fraudem; de qua diximus antea *num. 133.* Si quis autem non  
in magna quantitate, neque ad extinguendam famem, sed  
solum ad delectationem sumeret, non frangeret ieiunium  
(quod etiam ex Richar. habet Syluester in *verbo ieiunium*,  
*num. 9. circa medium*, perderet tamen meritum, vel in totum  
vel in partem: tamque inordinatum esse posset de fidei-  
um eiusmodi delectationis, vt ipsa electuarii sumptione pecca-  
retur mortaliter, prout addit quoque Abulens. etiam si ex coie-  
iunium non frangeretur: quemadmodum ex D. Thoma &  
& Paludano annotat Gabriel in *4. dist. 16. quaestio. 3. art. 3. non  
longe ab initio.*

174. Præterea, vt idem Abulensis notat in *precedenti quaest. 165.* ( &  
est communis sententia) potest quis tam parum de cibo sumere,  
vt g. vnicam micam panis vel vnum granum vix, vt quam-  
uis id sapius faciat, non dicatur tamen pluries comedere,  
quia parum pro nihilo reputatur. Quinetiam, vt idem addit,  
vbi euenire potest, vt quis non adeo paruam sed aliquantula-  
m cibi particulam fumens extra refectioem concessam,  
non frangat ieiunium: sic enim coqui & ceteri qui parant ci-  
bos, cum hos prægustant ad experiendum sint ne bene cō-  
diti, non censentur soluere ieiunium: nec item illi qui de sin-  
gulis cibus magnorum dominorum prægustant, vt hi sibi ca-  
ueant à toxico: nec Medici prægustantes illa, quæ dant in  
medicinam, vt videant num bene habeant, vel vt languen-  
tes innitent ad sumendum.

175. Nec qui per modum medicinæ, modicum cibi sumere  
compellitur vel ne potus quo indiget ei noceat ex Sylu. in *6.  
tato numero 9. Medicinam in Coll. de ieiunio quaestio. 11. vers. Sequitur  
eiusdem, & Armilla verbo ieiunium, quaestio. 1. vel vt somnium ne-  
cessarium capere possit, vel reprimere choletiam ex Ar-  
milla ibidem, vel vitare capitis vertiginem, membrorum  
tremorem, aut aliud simile ex Maiore in *4. dist. 15. quaestio. 3.  
& ex Gabriele loco citato*: vel denique ne deficiat vni-  
bus præ-*

Inanitate, ex *Valda eadem distinct. quest. 4. art. 4. in fine*, quem sequuntur Gabriel & Syluester locis citatis: sicque procedere potest quod habet Abulen. in eadem quest. 165. & ante eum artigerunt Paludanus, & D. Anto. ille in præced. art. 2. concl. 7. & hic 2. par. tit. 6. cap. 2. §. 6. feruientes dominis suis ad mensam in diebus ieiunij, vt non deficiant, posse modicum de cibo sumere ante refectionem eorumdem dominorum, & post eam sumere plenam refectionem, sine fractione ieiunij. Quod eadem ratione dicendum est, vt subiungit D. Anton. & in verbo ieiunium, expresserunt Rosella num. 13. & Caiet. verbo ieiunium, cap. 1. de iis qui in mensa Religiosorum seruiunt tempore prandij, dum alij cibum capiunt, vel aliquid de more, intentâ & clarâ voce tunc legant. Quæ cum Abulensi in præced. q. 144. & 145. intellige procedere quando debilitas aut nimia fatigatio inde sequeretur, nam sine causa non licent.

176. Quæ cum ita sint ad plenam explicationem dubij propositi hanc conclusionem statuimus cum Angelo in verbo ieiunium, num. 3. quod is qui extra vnicâ refectionem in die ieiunij concessam, comedit aliquid eorum quæ communitè solent in cibum sumi, puta panem, fructus, & herbas, frangat ieiunium, nisi comestio per intentionem comedentis ordinatur potius ad medicinam, quam ad cibum, id est, ad subueniendum in infirmitati corporis potius, quam ad illud alendum, quantumcumque consequenter alatur aequaliter. Nô enim vult Ecclesia prohibere id quod quocumque modo nutrire potest: sed vt Angelus ibidem in fine ex D. Thoma addit, id quod principaliter ad nutriendum ordinatum est. Eiusmodi autem intentio comedentis, ex Gabriele loco cit. deprehenditur ex quantitate cibi sumpti, & ex modo saminendi: nempe quia non multum sumit, nec aliter quam pro presenti infirmitate repellenda, vel pro vitanda iam infirmitate (quibus de causis licetæ est talis sumptio) ne quidem pro sanitate conferenda, si nullum infirmitatis adest signum: vt ex Innocen. habet quoque Angelus ibidem, in initio.

Dubium quintum, An frangat ieiunium qui prandium coeptum interrumpit, & deinde resumat.

177. Ad quod distinctione respondetur à Nauatr. in Enchir. cap. 21. num. 15. Nam qui in die ieiunij facto prandio surrexit mensa, cum voluntate non comedendi amplius, si postea ad eam redeat & comedat, videtur frangere ieiunium; quia per voluntatem illam, præcedens comestio non modo physice, sed etiam moraliter interrupta est, ita vt se quens in vna numero, non modo physice, sed nec moraliter cum ea coalescere possit: vt potest ab vna continuata voluntate minime procedens. Qui verò prandium ob iustum aliquod negotium interueniens interruptit voluntate illud statim resumendi, non frangit ieiunium, resumendo ipsum, ex Caiet. in cit. cap. 1. dum modo magnum & notabile temporis spatium non intericiatur. Quod quantum esse oportet ad effectum impediendi ne comestio moraliter interrupta censatur. Azor. in ante memorato lib. septimo cap. 9. q. 1. in fine, ex Maiore monet id relinquendum esse viri boni iudicio, in quo is rationem habebit tum negotij ob quod interruptitur prandium, tum etiam conditionis temporis & loci, tum demum animi, quo quis prandium interrumpit, num videlicet sit ad illud repetendum, an desistendum omnino ab illo. Nec enim generali regulâ, ob varietatem & incertitudinem circumstantiarum id vniuersè definiti potest: sicut nec per quantum protrahi possit prandium in die ieiunij; aut quantum cibi in eo capi possit, rationabiliter determinari potest; propterea quod diuersa hominum complexio & conditio facit, vt alij voracius comedentes, breuiori opus habeant tempore ad sumendum iustam refectionem; quam alij qui lentius mandunt: item quod vni ad naturæ sustentationem sufficit, alteri superfluum sit aut diminutum.

Sextum dubium, An ieiunium Ecclesiasticum violet, non tantum is qui secunda vice comedit in die ieiunij, sed etiam qui tertia, quarta, & deinceps.

178. De hoc auctores in vtramque partem satis acriter disputant, quos citat Azor. in sequenti quest. 2. Sed sufficet cum eodem paucis respondere partem negantem videri probabiliorē; non tantum quia plures auctores eam sequuntur; sed etiam, quia benignior & mitior est; & ideo in mâte-

ria ieiunij quæ pœnalis est, affirmantè parti præferendam; præsertim cum fulciatur & ratione & consuetudine. Ratione quidem, quia Ecclesiæ prohibentis pluries in die ieiunij comedere, intentio obiectiua non videtur alia esse, quam vt vnicam refectionem, constituat conditionem pertinentem ad ieiunij Ecclesiasticæ substantiam: ita vt debeat sub pœna peccati seruari, quod intellige, si possit fieri, cum nemo ad impossibile obligetur. Quia igitur post secundam comestionem, (per quam impossibilis redditur vnicâ in die ieiunij) seruari nõ potest præceptum de ipsâ vnicâ comestione datum: re-inquitur peccatū violat ionis eiusdem præcepti non incurri per tertiam, quartam vel plures comestiones, sicut si Semel sæpius transfisset torrentem Cedron contra prohibitionem sibi à Salomone factam, lib. 3. Regum cap. 2. ne vnquam transfiret, iudicatus esset non sæpius quam semel interficiendus, vt talis prohibitionis transgressor. Consuetudine verò fulcitur; quia dum quis confiteretur se ieiunium fregisse pluries comedendo, Confessarij non solent inquirere num bis tantum, an verò ter, vel quater, aut pluries comederit; quod omnino interrogandum esset, si singulis vicibus moraliter peccaretur.

179. Pro parte autem contraria adfertur potissimum, quod prohibere ne sæpius quàm semel comedatur, præceptum sit negatiuum, quod obligat ad semper, ideoque peccatur quoties ei contrauenitur. Sic enim peccat quis quoties furatur, quia agit contra præceptum negatiuum: Non furtum facies; peccat item Sacerdos quoties plus quam semel celebrat, quia datur præceptum negatiuum quo id prohibetur. Ervt de cæteris taceam, quoties quis contra Ecclesiæ prohibitionem carnes in die ieiunij comedit; peccat non tantum prima vice, sed etiam omnibus vicibus quibus comederit. Quare similiter peccabit contra eam de qua agimus prohibitionem, non tantum is qui secundo comedit in die ieiunij, sed etiam qui tertio, quarto & sic deinceps. Quod argumentum bene soluit Caiet. 2.2. quest. 147. art. 8. Sed paulo clarius dici potest differentiam esse inter ea quæ prohibentur; nam quædam sunt prohibita, quia mala, vt furtum & similia rectè rationi de se contraria, quæ committere, semper est peccatum. Quædam verò mala sunt tantum quia prohibita, & ideo non est peccatum ea committere, nisi eo tempore pro quo prohibita sunt, sicut carnes: oua, & lacticia prohibentur pro tempore Quadragesimæ, & carnes adhuc pro quibusdam aliis temporibus: vt communis fidelium vsus satis ostendit. Et rursus horum quædam sunt prohibita absolutè, idque vel sine determinatione certi temporis, vt celebratio plurium missarum ab eodem Sacerdote eodem die: vel cum determinatione certi temporis, vt vsus carniū, ouorum & lacticinorum in quadragesima. Quædam autem sunt prohibita per respectum ad aliud, quomodo pluries comedere in die ieiunij prohibetur per respectum ad conditionem ieiunij, quæ est vt ieiunans sit contentus vna refectione. Cum erga hæc ita sint, peccatur quidè toties, quoties furtū committitur, quia ipsum de se malum est: item quoties Missæ celebratio extra casus concessos iteratur eodem die ab eodem Sacerdote: ac etiam quoties in Quadragesima, vel alio die ieiunij carnes comeduntur; quia tam hoc quam illud absolutè prohibetur. Non peccatur verò quoties plus quam semel in die ieiunij comeditur, quia id tantum prohibitum est habito respectu ad conditionem ieiunij, quæ est vt ieiunans tantum semel in die reficiatur cibo: quæ ruit, immo impossibilis redditur, per secundam refectionem: & ideo per eam peccatur contra præceptum de vnicâ refectione: non item per tertiam, quartam, & reliquas; quæ nihil tale faciunt: propterea quod eam ruinam, vt sic dicam & impossibilitatem inuenitiam factam. Quod similiter contingeret in esu carniū, nisi is esset prohibitus absolutè; nec tantum respectu habito ad conditionem ieiunij. Ac quod absolutè prohibitus censeret debeat potius quam pluralitas refectionum aut anticipatio horæ in die ieiunij, constat ex consuetudine Ecclesiæ. Nam videmus pueros qui ob ætatem, & operarios qui ob laborem excusantur à ieiunio, & per consequens à ieiunij conditionibus seruandis, non excusari ab abstinentia à carnibus; Item nec; in diebus Dominicis Quadragesimæ, quamuis non ieiunemus, abstineamus tamen à carnibus: quia nimirum vsus earum absolutè prohibitus est

in tota Quadragesima: non autem per respectum solummodo ad ieiunium, siue ad constituendam conditionem ad ieiunium necessariam.

180. Ex his corollarie deducitur quod Azor. in cit. cap. 9. quest. 3. tractat: si cum aliquo sit dispensatum, ut sæpius quam semel in die ieiunij comedat: non obstat præceptum ieiunij, quin non tantum bis sed etiam ter vel quater, vel pluries comedere possit (etsi à peccato gula non excusabitur, sicut nec extra tempus ieiunij) perinde ac operarij, qui ob laborem diurnum à ieiunio excusantur; obstat tamen quin vesci possit carnibus aut alijs cibis vetitis, sicut obstat ne idipsum possint dicti operarij, neque nos possimus in diebus Dominicis Quadragesimæ.

181. Sintne autem diuersa numero peccata, quæ diuersis diebus Quadragesimæ sic committuntur; an verò vnum tantum numero ex pluribus illis tanquam ex partibus coalescens, difficultatam aliquam habet, sed in qua nos hætere non est necesse: cum ad nostrum institutum sufficit scire, quod illorum multitudo exprimenda sit in confessione: ut Confessarius ea ex parte habeat sufficienter cognitum sui Penitentis statum.

Septimum dubium, An is, cui ex dispensatione licet bis in die ieiunij comedere, liceat, pariter horam comedendi antevertere, etiamsi nullam habeat iustam antevertendi causam.

182. Ad hoc respondendum videtur, ut tutiore se veriorum esse partem negantem, per ante a tradita num. 168. & 169. quam tenet Nauarrus in Enchir. cap. 2. num. 22. Sed Gregorius à Valentia 2. 2. dist. 9. quest. 2. puncto quinto, Caietanum secutus partem affirmantem tenens, eam probat: quia conditio ieiunij consistens in hora refectionis habet se velut accidentaliter ad conditionem consistentem in vnica refectione. Etenim certa hora præscribitur tanquam modus refectionis; nempe ut ad talem vsque horam ea differri debeat. Sublato autem essentiali, tollitur & accidentale. Cui rationi occurrendum est, ieiunij conditiones non esse hæc considerandas per respectum ad se inuicem, sed per respectum ad ieiunium ipsum, ad quod eæ pertinent æqualiter. Conditio enim certæ horæ, non minus quam duæ reliquæ, spectat ad ieiunij Ecclesiastici substantiam. Nam Ecclesia illam ut de se afflictiuam carnis, in eandem præcepto suo comprehendere: ut argumento est quod illius perinde ac alterutrum duarum reliquarum relaxatione aut violatione, relaxatum aut violatum ieiunium Ecclesiasticum communiter existimetur. Quocirca quo ad eam, sicut & quo ad reliquas duas, procedit illud quod ex Caiet. refert Nauarr. loco citato: præceptum Ecclesiæ cum in totum seruari non potest, seruandum esse quo ad partem eam, quo ad quam seruari potest. Vnde dispensatus ut pluries in die ieiunij comedat, non est eo ipso dispensatus, ut horam comedendi antevertat, sicut neque ut cibus vetitis viatur prout idem Nauarr. per eandem rationem habet.

Octauum dubium, An qui absque iusta causa horam comedendi in die ieiunij antevertit, eodem die ieiunium seruare teneatur, secundum alia quæ ad illud spectant.

183. Ad hoc respondendum est teneri ex communi ut ait Azor. 1. part. Moral. instr. lib. 7. cap. 11. quest. 7. sententiã quæ ex eo probatur, quod constat ex communi Ecclesiæ consuetudine talem non posse ea de causa vesci carnibus: neque secundam refectionem posse sumere potius, quam carnibus vesci: nulla ratio conueniat. Nam quod aliqui dicunt et qui horæ anticipatione frangit ieiunium, idem vsu venire ac ei qui vas fregit, quia nequit ille amplius ieiunium integrum, sicut nec iste vas integrum seruare: reijcitur, quia cum alicui datur præceptum de seruando vase, solum obligatur ad non frangendum illud: præceptum verò datum de ieiunio seruando, obligat ad non frangendum ieiunium, non tantum anticipatione horæ, sed nec secundam refectionem, nec sumptione cibi vetiti; ita ut is qui ante horam determinatam cibum sumpsit, adhuc teneatur abstinere à secunda refectione & à cibus vetitis.

Nonum dubium, Quomodo serotina quæ vocatur collatio permittatur in die ieiunij.

184. Circa hoc aduerte constare quidem, quod simpliciter talis cenula per receptam consuetudinem permittatur & excusetur: sed dubitari, an cum ea consuetudine concurrere debeant, necessitas personæ, aut paruitas maræritæ; quæ videntur eidem dedisse initium. Aliqui enim, relati ab Azorio in præced. cap. 8. q. 4. putant eiusmodi refectionem non esse licitam nisi sumatur causa indigentia in modum medicinae, non verò in modum cibi, id est: ad obstandum alicui infirmitati corporis, non autem ad corpus alendum: qualis indigentia est, ne stomacho efficiat potus sine cibo sumptus ad somnum de nocte capiendum necessarius, vel etiam ad bonam ciborum digestionem. De quare Abulensis ad 6. Matthei. quest. 164.

Alij verò, quos sequenter refert idem Azor. arbitrantur talem refectionem simpliciter & absolute licitam esse, quantumcumque indigentia necessitate adiunctam non habeat: quia ad illam excusandam à peccato, sufficit sola consuetudo rationabilis præscripta, quæ vim habet duriora, vel suauiora efficiendi ieiunia, quæ omnia sunt iure humano inducta (de quo Nauarr. in Enchir. cap. 2. 1. num. 14. dummodo tamen eis fraus non fiat: ut censetur fieri ex Sylu. verbo ieiunium num. 10. cum est excessus in quantitate, aut consuetudo inducit studio: è aliquid quod ad nutriendum & contra famem faciat (ut cœna palliata nomine collationis, cuius Nauarr. meminit in sequen. num. 15. id quod directe pugnat cum fine, cuius gratia ieiunium institutum. Vnde fit ut tanquam irrationabilis, debeat censeri corruptela introducta non à viris honestis Deum timentibus, sed à carnalibus & delicatis pro Deo suum ventrem colentibus: qui contra Ecclesiæ disciplinam & ea quæ pro salute animarum constituta sunt: non consuetudinem, sed tantum corruptelam inducere possunt; prout bene ait Gabriel in 4. dist. 16. quest. 3. art. 3. col. 5. Simili modo relicienda est eorum sententia qui dicunt, non aliter consuetudine excusari prædictam refectionem, quam quod in ea modicum sumatur, quod pro nihilo reputari possit. Nam ad talem excusationem sufficit non exire consuetudinis terminos, ut ex Panormis. habet ibidem Syluester. Inde que colligit, non solum ieiunium, etiamsi talis refectione sumatur pro aliqui naturæ sustentatione, aut ex sensualitate. Adde ex Nauarr. in cit. num. 14. etiamsi nulla quoque sit bibendi necessitas & voluntas: satis enim est ut vitetur excessus, nihil sumendo ultra id quod secundum regionis consuetudinem rationabilem sumi solet. Rationabilem dico, ut indicem vitandos esse abusus, per quos refectione in plenam refectionem degenerat: quod fieri non potest sine fractione ieiunij Ecclesiastici, ut bene notat Abulensis in sequenti quest. 165. quia vnicam tantum refectionem ab vna media nocte ad alteram sumere, spectat ad substantiam ieiunij Ecclesiastici.

Decimum dubium, Quæ ciborum quantitate & qualitate constare debeat serotina collatio, ut censetur permitti.

185. Pro huius explicatione faciunt sequentia documenta notatu digna. Primum est Caietani in verbo ieiunium cap. 11. in fine. Quemque recte sibi consulere qui illud in collatione sumit, quod suæ complexionis plus prodest: hoc est, ex cibus licitis id in illa sumit, quod nouit magis sibi conducere ad uersus infirmitates quibus se sentit obnoxium. Sic enim ipsa collatio non refectionis sed medicinae potius rationem habebit. Secundum est ex Azorio in cit. lib. 7. cap. 8. qu. 8. In collatione serotina, ne transeat in cenam, solum edi posse quæ ante vel post prandium aut cœnam alias sumi solent, qualia sunt electuaria, fructus arborum: puta ficus, vicia, nuges, pira, poma, herbe: itemque panis in ea quantitate quæ modica merito censetur: si enim secus fiat, id est, vel sumantur alij cibi qui valent potissimum ad nutriendum: ut pisces & legumina: vel prius memorati in maiori quantitate sumantur: iam non erit refectione ad somnum commodus capiendum, & naturam aliqua ex parte sustinendam; sed potius secunda refectione ad nutriendum instituta: quæ ieiunium soluat. Quam tamen ista cibi modica quantitas latitudinem recipit ex varietate locorum & personarum. Sunt enim regiones alie alis calidiores aut frigidiores: & personæ alie alis ætate

proiectiores: item aliis infirmiores: ac tandem aliis aliis maiore labore diurno fatigatae. Vnde fit ne vbiq; nec omnium eadem sit indigentia, cui subueniri possit per eandem ciborum quantitatem & qualitatem. Quisque igitur videbit iuxta primum documentum, quid sui complexionis proficiat, & caueat excessum, quem, nisi aliqua causa iusta excuset, dixerim ordinariè contingere, quando id quod sumitur notabiliter maius est quarta parte eorum, quae ieiunanti sufficerent ad ordinariam suam cenam: nam talis ferè semicena, utpote mediam ferè partem sumens eorum quae illi ad plenam cenam sufficerent. Id autem viti timorata conscientiae nollit in die ieiunii facere, nisi iusta aliqua compellente necessitate. Id quod satis indicat collationem non esse extendendam ad eam quantitatem, per quam ea cenari possit semicena.

Tertium documentum est, In collatione concedi imprimis vsum electuarius, tanquam conferentium potius ad bonam digestionem, quam ad nutritionem bonam. Deinde verò vsum fructuum & herbarum: minus autem ceteris vsum panis qui cibus (inquit Angelus in verbo ieiunium num. 3. in fine) in vtu ceteris principalior. Quanquam teste Sylu. in eodem verbo num. 10. secundum diuum Thomam, Palud. & alios Doctores precipuos, ista distinctio panis ab aliis iam dictis, non habetur nisi de congruo, id est, ex eo tantum quod sit consentaneum ad retinendam abstinentiam à cibis in qua ieiunii ratio consistit, potius abstinere ab eo qui principior cibus est, quam ab aliis quid excitandam cibi appetitionem, vel sitim extinguendam, sumi solent frequentius, quam ad nutriendum: ideo enim tum ante tum etiam post prandium vel cenam sumi consueverunt.

Porro non solum quando panis vsum consuetudo in collatione induxit, sed etiam alias, is licitus est in modica quantitate, cum alicui vel potus vel fructus, quibus vni conceditur, nocent sine pane, vel ille nihil præter panem habere potest: vel etiam fructus habere possit, tamen stomachus ipsius non est illis opportunus. Ita docent Sylu. & Caiet. illo loco citato & hic secunda secunda quest. 147. art. 6. dub. 2. Et ratio esse potest, quod non videatur probabile Ecclesiam matrem piam eum filiis infirmis tanta severitate agere, ut velit in tali necessitate adstringere ad peccatum: dummodo vitetur excessus: ut vitabitur ex Azorio in cit. quest. 8. si quantitas panis sit trium vel quatuor vnciarum.

Quartum documentum, quod idem Azor. consequenter tradit, est, Pluribus vscis fructuum generibus in collatione, non soluere ieiunium: dummodo in tam parua quantitate vnumquodque eorum sumatur, ut simul non excedant quantitatem tolerabilem, qua vnum genus constaret, si solum sine ceteris sumeretur. Huius ratio reddi potest, quod nihil in eo noceat, quod sit contra substantiam ieiunii Ecclesiastici. Quae eadem esse potest illius, quod idem author addit: licitum esse in collatione iusculum aliquod sumere forbendo, dummodo non sit ex coctis cibis, quae tunc sumi vetantur, atque adeo sit tantum vel cum pane vel cum fructibus aut herbis: nempe excedat eam quantitatem quae est in more posita. Si quaeratur An excusari possint nobiles in eo, quod maiore collatione utantur quam ceteri. Idem simul responderi potest excusari, dummodo illi non excedant modum: quia nituntur consuetudine, quae ex eo rationabilis censeretur potest, quod ipsi soleant debiliore esse valetudinis, & assueti esse pluribus & delicatioribus cibis. In confirmationem adfert, quod ea de causa paulo maior collatio sumi soleat in Romana Pontificiaque curia, idque sine fractione ieiunii ex Caiet. in verbo ieiunium sub fine. Item quod homines saecularis paulo maiorem collationem sumere soleant quam viri Religiosi.

Vndecimum dubium, An tempus refectionis meridiana, & refectionis serotina mutari possit: ita vt haec circa meridiem, illa vero circa noctem sumatur.

186. Ad hoc Caietanus & Fumus in verbo ieiunium, ille cap. 1. & hic num. 1. in fine, ac Nauarr. in Enchir. 21. num. 14. simpliciter respondent non esse licitum vespertinam refectionem transferre in refectionem matutinam: quia id non est communi consuetudine receptum, nec iure permittitur. Sed melius in præced. quest. 6. Azor. respondet cum distinctio-

ne: nempe, quod si matutina refectionis iunctura intelligatur ea esse, quae multo ante prandij horam debita sumitur: sine dubio verum esse simpliciter, quod non liceat in die ieiunii collationem ex vespertino tempore in matutinum transferre, nisi iusta & legitima aliqua causa excuset: ut cum quis ob negotiorum multitudinem coactus prandium differre, sumit aliquid cibi, ne toto die ieiunus permaneat cum damno valetudinis. Immo cum quis nequit aliter ieiunare, agens tale quid damnandum non est, sed commendandum tanquam is qui ieiunium seruans pro viribus: satisfacit Ecclesiae precepto, quod alioquin transgredere. Ita docet Caiet. 2. 2. qu. 147. art. 6. in explicatione 4. dubij. Ad dens quod si talis in aliquo dubitaret, posset id facere cum superioris licentia: non autem ea de causa omnino omittere ieiunium, quod tenetur seruare qua ratione potest: sicut qui non potest totam Quadragesimam ieiunare; potest autem tribus diebus in hebdomada; aliis diebus à ieiunio cessans, tenetur tribus illis ieiunare. Sin autem matutina refectionis iunctura intelligatur ea quae sumeretur hora designata prandio in die ieiunii, dilato prandio ipso in horam in qua sumeretur vespertina collatio, talem mutationem censeretur posse licitam hoc nomine: quod ea nec ex toto nec ex parte soluat substantiam ieiunii: quia ieiunium Ecclesiasticum, ut de more nunc seruatur, continet vnum prandium cum vna refectionis iunctura: id quod non obstante proposita mutatione, seruatur: neque praeventur praescripta comedendi hora: abstinetur quae à cibis vetitis, ut supponimus. Quare nihil mutatur spectans ad substantiam ieiunii: sed solummodo tempus, sine praeventione horae ab Ecclesia praescriptae ad comedendum. Quanquam ut idem author bene monet: in hac quoque re, sicut & in ceteris quae ad ieiunium pertinent; melius tutiusque est sequi consuetudinem, quam constare esse in contrarium.

Duodecimum dubium, An possit quis per alium satisfacere precepto Ecclesiastico de ieiunio.

187. Ad hoc idem Azor. in eodem lib. 7. cap. 21. quest. 7. bene respondet distinctio. Ieiunium enim aut praecipitur alicui ut corpus castiget, ac domet; aut iniungitur à Iudice tanquam poena peccatis debita. Ad ieiunium priore modo praecipitum, nemo potest per alium peragere: quia est velut negotium quod imponitur personaliter exequendum. Posteriore verò modo, nisi aliud impediatur, potest quis per alium exsoluere iniunctum ieiunium, ut argumento est, quod vltiorum ieiunia possint defunctis prodesse per modum suffragij. At ieiunium Ecclesiasticum prioris modi esse dubium non est. Quare non potest impleri per alium.

Decimum tertium dubium, An possit quis excusari à ieiunio, faciendi illius loco Eleemosynam.

Ad hoc negatiue respondendum est ex Nauarr. in Enchir. cap. 21. num. 22. quia debitor vnus rei non liberatur soluendo aliam: ex lege Eum, & lege Manifesti Cod. De solutionibus.

Vltimum dubium est, An si quis ieiunium aliquo certo die indicatum non obseruet, siue quia non potest, siue quia non vult, debeat alio die illud suscipere.

188. Ad hoc cum Panormit. & pluribus aliis quos refert & sequitur Azor. in præced. cap. 20. quest. quinta, immo cum omnibus ex Nauarr. in seq. numero 27. respondendum est negatiue quia tale onus est attributum tali diei: ideoque extra hunc, illud non manet, nisi aliter expresse constitutum sit: ut in c. Ex parte. De obseruat. ieiuniorum constituitur, quod si Vigiliae ieiunium incidat in diem Dominicam illud transferatur in praecedentem diem Sabbathi. Sicut ergo is, qui non audiuit Missam aliquo die festo, non tenetur propterea sequenti die audire: nec Sacerdos qui hodie omisit diuinum officium, tenetur cras illud bis recitare; ita nec qui ieiunium Ecclesiasticum omisit, tenetur ea causa alio die ieiunare: quia illud fuit onus diei: sicut is cui concessus est vsum fructus agri pro hoc anno, si non sit vsum eo beneficio, non potest virtute eiusdem concessionis illo gaudere alio anno: quia tale beneficium cessauit cum tempore cui erat attributum. Secus verò esset si tempus attributum esset oneri: ut cum alicui iniungitur semel ieiunare in hebdomada: talis omittens vno die, tenetur

illud

illud impietate ano die. Sicut si alicui esset concessus usus fructus agri pro vno anno, si eo beneficio non esset usus primo anno, posset eo usi sequenti anno.

## CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De peccato quod committitur violatione ieiunij Ecclesiastici

## S V M M A R I V M.

189 Violatio ieiunij Ecclesiastici excusatur à mortali per defectum de liberationis & materia paruitatem.

190 Violatio ieiunij Ecclesiastici peccatum est mortale, non modo ex contemptu, vel cum scandalo contingens, sed etiam ex suo genere.

191 Violatio ieiunij Ecclesiastici per esum ciborum prohibitorum aut per secundam refectioem, aut etiam ex probabiliori sententia, per anticipationem notabilem horæ determinatæ, peccatum est mortale.

192 Ratio qua sufficienter in confessione declaratur violatio ieiunij Ecclesiastici.

**S**upponimus committi peccatum violatione ieiunij Ecclesiastici, quoniam ea est doctrina Catholica, quam aduersus hæreticos nostri temporis bene propugnatam, qui vult videre potest apud Bellarm. in tomo tertio. Controversiarum lib. 2. de bonis operibus cap. 7. 8. & 9. & apud Gregor. à Valen. secunda secundæ disput. 9. quæst. 2. puncto 2. in primo & secundo controversio. Legi etiam potest Azor. in prima parte Moral. instit. lib. 7. cap. 10. quæst. 1. 2. & 3. Quale verò peccatum sit, mortalene an veniale tractamus tanquam instituti nostri proprium.

189. Sit igitur prima propositio. Ex accidenti, id est ob defectum iudicij plenè deliberati, vel ob materiæ paruitatem violatio ieiunij Ecclesiastici excusatur à mortali. Probatur, quia nulla potest reddi ratio, cur duo illa, ob imperfectionem actus non excusent à mortali transgressorem præcepti de ieiunio, perinde ac aliorum præceptorum transgressores.

190. Secunda propositio. Non seruare ieiunium Ecclesiasticum ex contemptu præcepti Ecclesiæ, semper est peccatum mortale. Ratio est quia talis contemptus (iuxta illud *Iuc. 10. Qui vos spernit me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit*) includit Dei contemptum ac notabilem irreuerentiam. Vnde charitatem qua ei grati sumus destrui satis indicatur per illud *primi Regum 2. Qui contemnunt me erunt ignobiles.* Jam destructiuum esse charitatis animam viuificantis, proprium est peccati mortalis, quod inde accipit ipsum mortalis nomen.

Tertia propositio est. Transgressio præcepti Ecclesiastici de ieiunio, semper est peccatum mortale, quando contumaciter habet aliorum scandalum. Ratio est, quod & tunc ea sit contra charitatem, cum notabili iniuria proximi, iuxta illud *ad Rom. 14. Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulat: noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Id quod potest frequententer hoc tempore contingere, quia is qui transgreditur ieiunium, sæpe videri potest vel hæreticus esse, vel parui facere auctoritatem Ecclesiæ, vel ad idem alios suo exemplo inducere.

Quarta propositio est. Quantumcumque sine scandalo & contemptu expresso contingat prædicta transgressio, solumque omittat quis ieiunium, quod nolit illud seruare eum possit, peccatum est ex suo genere mortale. Hanc communi Theologorum, Canonistarum, ac Summulariorum calculo approbati notat Azor. in cit. lib. 7. cap. 8. quæst. 2. Eam que ex instituto confirmant Medina in *Cod. de ieiunio quæst. 7.* & Couar. lib. 4. *variæ. resolut. cap. 20. num. 10.* & plenius Bellarm. & Gregorius à Valen. locis antè citatis.

Satis nobis est communis sensus virorum Catholicorum abhorrentium à ieiunij violatione tanquam lethaliter fauciente animam. Et certè nemo verus Catholicus negabit Ecclesiam potuisse ieiunium sub mortali præcipere nomine Christi, qui dixit *Iuc. 10. Qui vos audit me audit.* Quod autem Ecclesia voluerit illud taliter, *sub mortali inquam*, præcipere: patet ex graui pœna, cui ieiunij Quadragesimalis & quorundam aliorum violatores, subiiciuntur in Can. 68. Apostolorum: nempe vt si sint Clerici deponantur: si laici, excommunicentur. Et in Concilio Gangrenf. Can. 19. refer-

turque in cap. Si quis eorum dist. 30. cum anathema dicitur ei qui abique necessitate corporca, tradita in commune ieiunia, & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissoluit. Neminem autem dignum esse excommunicatione, nisi ob mortale peccatum, constat ex cap. Nemo Episcoporum 11. qu. 3.

Quinta propositio. Quamuis quis cætera seruet, si ieiunium esu carniū violet peccat mortaliter. Hæc patet quoque ex communi virorum Catholicorum sensu: quisquis enim talis est expectatur in se quod D. Chrysof. dicit, *Homil. 16. ad populum Antiochenum*; quod estis millies exhortetur, & infinita crucietur, & cogant aliquid lege ieiunij non concessum gustare, omnia tamen pati malit, quam prohibitum tangere nutrimentum. Accedit quod in Concil. 8. Tolitano cap. 9. non tantum excommunicentur, sed etiam præcipiatur vt à carnibus integro anno abstineant, qui illarum esum præsumpserint attentare in Quadragesima, sine inuicabili necessitate & euidenti languore, aut ætatis impossibilitate.

Sexta propositio. Idem pariter dicendum est de eo qui ieiunium violat vsu ouorum & lacticiuorum in Quadragesima: nisi consuetudo contraria aut dispensatio excuset. Habet hanc Caiet. & Syluester, ille 2. 2. quæst. 147. art. 8. & hic in verbo *ieiunium num. 17.* confirmaturque similiter ex communi virorum Catholicorum sensu.

Septima propositio. Non est quidem dubium, quin violatio ieiunij per secundam refectioem, peccatum sit mortale: dubitatur tamen, an sit quoque per anticipationem horæ ad comedendum præscriptæ. Prior pars etiam constat ex communi Catholicorum sensu. De posteriore autem satis constare potest ex disensione Auctorum, Nam multi quorum meminit Azor. in *seq. ca. 11. questione 4.* putant anteuertere horam consuetam ieiunij etiam sine iusta causa, non esse peccatum plus quam veniale, nisi per contemptum id fiat. Alij verò in maiore numero quorum idem simul meminit, existimant mortaliter peccare eum qui sine causa legitima debitam horam ieiunij notabiliter præuenit. Quæ sententiarum varietas ex eo orta videtur, quod vna ex parte obseruatio horæ debita sit conditio ieiunij spectans ad ipsius substantiam: ideoque violatione illius, sicut & duarum reliquarum, censetur simpliciter violatum ieiunium, atque adeo cum peccato mortali. Ex altera verò parte ralis conditio, cum non sit perinde principalis ac cætera, sed solum consequens & adiuncta ad conditionem vnicè refectioem tanquam modus quidam illius, quo non ante certam horam in die ieiunij sumenda est; videri potest quod peccatum illius violatione commissum, minus sit quam quod committitur violatione duarum aliarum conditionum. Ceterum etsi hoc verum est, ea tamen, vt sic dicam, minoritas, non apparet tanta vt censeri possit minuere peccatum in infinitum: ideoque posterior sententia videtur non tantum vt tutior, sed etiam vt probabilior tenenda: & quia plures ac nobiliores habet auctores, vt videte est apud Azorium: & quia melius fundamentum habet: Tum rationis, vt patet ex iam dictis: Tum consuetudinibus, quia boni Catholici ad eam quoque conditionem se ita adstringunt, vt si illam violauerint nolint tale peccatum reticere in confessione, quasi leue. Tum demum iuris, quia iuxta cap. Solent De consecr. distinct. 1. qui horam præueniunt, nullatenus ieiunare credendi sunt. Nec est quod quis dicat eum Canonem abrogatum esse, cum iam anticipetur hora tertia postmeridiana de qua loquitur. Nam etsi in ea anticipatione discessum sit à more & instituto veteris Ecclesiæ, non tamen in eo, quod certa hora seruetur, quam nō liceat in die ieiunij comedendo præuenire. Non negauerim tamen facillius excusationem à peccato locum habere in ea conditione, quam in reliquis; quæ per se & independenter pertinet ad ieiunij substantiam. Sic enim Nauarr. in *Enchir. cap. 21. num. 27. versu 7.* alios citans, excusatur à tali peccato eum qui præuenit, eo quod non vacabit ei comedere horam consuetam, vel qua debet iter accipere, vel ob hospites quos suscipit.

Octaua propositio. Qui bona fide credit se iustam causam habere ad non ieiunandum, etiam si reuera non habeat, non peccat saltem mortaliter, non ieiunando. Ratio est, quia vbi adest bona fides, abest peruersa voluntas, sine qua peccatum non est mortale. Hanc ex Palud. D. Anton. Sylu. & Caietano tradens Nauarr. in *præced. num. 20.* addit. Confessarium ei qui dubitat

dubitat, an sine notabili suae sanitatis damno ieiunare possit, consulere debere, ut experiat; sique cognoverit ieiunium sibi notabiliter nocivum esse, iuste poterit à ieiunio cessare: si adhuc dubitaverit debet ad Superiorem pro dispensatione confugere, sine qua in dubio, nec illi quos ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, præsumere debent prohibita violare, prout habetur. ex 8. Concilio Tolet. cap. 9. in fine.

Nonna propositio. Frangens ieiunium anticipando horam debitam, prima tantum anticipatione peccat contra præceptum de ieiunio Ecclesiastico: comedendo autem cibos vitiosos, toties peccat quoties comedit. Hęc patet per dicta præcedenti capite in explicatione sexti dubij.

192. Decima propositio. Ad declarandum sufficienter in confessione peccatum quod ieiunij Ecclesiastici violatione committitur, dicendum est quomodo violatum sit: nempe, vel quod sola anticipatione horæ, vel quod sola pluralitate refectioinum, vel quod utraque simul, vel quod adhuc cibi veriti vsu; de hoc addendo quoties contigerit. Ratio est, quia Confessarius debet intelligere non tantum peccatorum speciem, sed etiam numerum & gravitatem infinitè mortaliterve auctam: quod non fit in confessione facta de violatione ieiunij, nisi fiat eo, quo proponimus modo: cum ratio multiplicationis & aggravationis peccati in tali violatione, pendat, ex varietate dictarum conditionum spectantium ad substantiam ieiunij. Adde pari ratione declarandum esse, num ieiunium eo die quo violatum est, iniungeretur duplici præcepto: ut fit cum de præcepto ieiunandum est in vigilia S. Matthæ, & ea incidit in aliquem diem Quadragesimæ. Nam tunc vel duplex peccatum committitur, prout Navarrius visum esse proponit Azor. in eodem libro septimo capite 20. quest. 7. vel si vnum tantum committitur, ut Azor. ipse probabilis existimat, ipsum est duplo gravius, quam si non esset talis præceptorum concursus. Nam pluribus causis obligatus ieiunare, non ieiunans plus peccat: ut per se notum esse nec egeret probatione ait Maior in 4. distinct. 15. quest. 3. Eadem etiã de causa declarandum est, quot diebus sine iusta causa quis vel violaverit, vel violare voluerit ieiunium in Quadragesima: quia etiam si nolumus assentiri eidem Azorio in sequenti quest. 8. dicenti tot numero committi peccata, quot fuerint illi dies, fatendum tamen est singulis diebus tale peccatum mortaliter aggravatum esse: præsertim cum, præceptum de Quadragesimali ieiunio, ut Gabriel in 4. distinct. 16. quest. 3. art. 3. sub. 5. in fine, bene notat, feratur & super totam Quadragesimam, & super singulos dies illius: ideoque ieiunium cuiuslibet diei Quadragesimæ sit in præcepto: siquidem alioquis in quin diem Cinerum violasset ieiunium, quia non posset integram Quadragesimam ieiunare, nihil deinceps peccaret non ieiunando in ea: utpote impossibilitate ipsum excusante.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM

De modo quo peccatur participando in ieiunij violatione.

## S V M M A R I V M.

193. Quis talis modus sit, & quod duplex esse possit.  
 194. Non peccat famulus vel ancilla parans, aut ministrans cibos domino quem sit frangere ieiunium.  
 195. Quando & quomodo peccet qui alium in die ieiunij ad cenam inuitat.  
 196. Peccat mortaliter, cum patresfamilias suis familiaribus, cum hospites ad se divergentibus aperta ut vocant mensa, cenam præbentes in die ieiunij.  
 197. Rationes in contrarium cum solutione.  
 198. Precedit ea doctrina etiam si priuatim ac secretè tale quid fiat.  
 199. Quid prædictis licere possit, quando familiares aut hospites valde molesti sunt cenam negantibus.  
 200. Idem incerti, an cenam petentes iustam causam habeant cenandi, non peccant mortaliter eam dando.  
 201. Peccat mortaliter qui sine iuxta causa compellit famulos aut operarios ad violationem ieiunij.  
 202. Quando & quomodo peccet aut non peccet, qui in diebus ieiuniorum venales exponunt cibos vitiosos.

Commune est omni peccato mortali, ut illud incurvat non tantum is à quo perpetratur, sed etiam is qui perpetranti consentit: cum dicat Apostolus ad Rom. 1. Digni sunt morte non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.]

193. Modus igitur quo peccatur participando in violatione ieiunij consistit in eo quod præbeatur eidem violationi consensus: qui quadruplex esse potest ex Glossa ad cap. 1. De offic. Delegat. verbo Pari pena: vnus negligentia, alter consilij, tertius cooperationis, & quartus autoritatis seu defensionis. Atque iuxta eandem glossam in casu negligentia, nisi forte negligentia fuerit nimis crassa, consentiens minus peccat quam perpetrans: & in casu Consilij minus punitur consentiens, sicut tanquam minus etiam peccans, quam perpetrans peccatum: In casu autem cooperationis, æqualiter peccant consentiens & perpetrans peccatum. In casu denique autoritatis seu defensionis magis peccat, magisque puniendus est consentiens quam perpetrans peccatum: quia omnia ex iure canonico eadem glossa habet confirmata.

Ad quos quatuor modos reuocantur nouem illi qui communiter traduntur peccandi peccato alieno: de quibus Nauarrus in Enchir. cap. 11. num. 13. & nos alias commodius. Ceterum cum constet peccatum mortale committi à nobis, si nostro consensu, causa finimus cur alter qui ieiunare statuerat mutet voluntatem, nec ieiunet cum teneatur: illud quod potest de re proposita difficultatem habere est, An mortaliter peccemus cum qui iam apud se statuit transgredi præceptum ieiunij: & quamuis talis transgressio nobis displiceat, ei tamen cooperamur propter aliquod nostrum commodum. Ad quam difficultatem exhaustendam aliquot particularia dubia occurrunt, quibus satisfaciendum est.

Primum dubium, An peccet famulus vel ancilla mensam vel cibos parans, aut cibos ipsos ministrans domino, quem ieiunium soluere nouit.

194. Pro cuius parte affirmante facit, quod in hoc famulus vel ancilla videatur domino ieiunium violanti cooperari: quod est peccatum. Pro negante vero, quod domino petenti solum obsequium, si res sit de se non mala, famulus illud ei præstans tanquam iure debitum, congruenter rationi agat. Dicit enim ratio Domino non esse quidem obtemperandum, si rem de se malam petat, quæ non potest bene fieri: esse tamen, si petat rem de se indifferentem, & ei debitam: quia licet petat affectu deprauate, à famulo tamen executioni mandari potest, nullatenus consentiendo tali deprauationi, & per consequens sine peccato. Hęc pars probabilior videtur & tenenda sicut cum Caiet. tenet Azor. in prima par. Moral. instit. lib. 7. cap. 20. quest. 11. Nam ad contrariam rationem facile est respondere: famulum vel ancillam in eo casu non cooperari peccato domini: cum non suppeditet ei materiam peccandi, utpote apponens tantum quæ illius sunt, non autem sua de quibus possit disponere. Neque obsequatur illius voluntati, prout peruersa est, sed prout exigit ministerium, quod ex officio debent ei præstare. Quod si ministerio, alioqui licito, idem dominus abutatur ad peccatum, nullatenus imputari debet famulo vel ancilla: sicut nec si puella pro necessitatibus domesticis, aut alia iusta de causa, domo egrediatur sciens aliquem occisurum, qui in concupiscentiam ipsius exardescet; censenda est cooperari illius peccato, quia non facit id, ut seruiat illius deprauate voluntati: sed ut exequatur quod est sui muneris: quam à peccato excusari notat Nauarrus in Enchir. cap. 14. num. 30. Secus iudicans de ea quæ sine rationabili causa se indifferentem offerret aspiciendam, solūmodo ut satisfaceret suæ voluntati diuagandi per vicos & plateas, aut manendi in ostio, vel fenestris domus, ut sua pulchritudo laudetur, vel ob aliam vanitatem, quantumcumque nullam habeat voluntatem inducendi quempiam in sui concupiscentiam.

Secundum dubium, An mortaliter peccet, qui in die ieiunij ad cenam inuitat eum quem nouit cenaturum.

195. Ad hoc, quod tractat Maior, Caietanus & Navarr. citati ab Azorio in sequen. quest. 12. respondetur aliquot propositionibus. Prima est, mortaliter peccare eum qui sic inuitat, si quid inuitatus cenet, ieiunium alioqui seruaturus. Ratio est, quia verè causa est alteri mortaliter peccandi, quod est peccatum mortale: dato quod ipse inuitas, certo nouerit aut proba-

biliter



biliter crediderit aut dubitauerit, inuitatum obligari ad ieiunium seruandum. Secus esset vero, si vel sciret, vel probabiliter crederet aieunando excusatum esse: quia bona fide inuitaret.

Secunda propositio est, Mortaliter peccare eum qui alterum iam ad cenam paratum, inuitat ad cenandum. Ratio est quam reddit Caiet. *secunda secunda quæst. 147. a. 14. sub finem*: quia non licet ne paratos quidem ad malum, allicere seu inducere ad illius executionem: cum non tantum velle, sed etiam exequi malum, sit peccatum.

Tertia propositio est, Non esse peccatum mortale aliquè qui alibi cenaturus erat, inuitare ut potius tecum cœnet. Ratio est quam habet Caiet. *loc. citato*: quia id non est inuitare ad cenandum, sed offerre domum & locum cœnæ, reque in cœna socium, qui ex suppositione iustam cenandi causam habeat. Id enim non videtur magis rationem peccati de se habere, quam cum hospites inuitant aliquos ut ad se potius, quam ad alium diuertant. Quamquam non video quare ratione, sic inuitatis possint ad cenandum cibi ministrari, cum id sit eis suppeditare peccandi materiam. In quam sententiam plura sequenti dubio.

Quarta propositio est, quam contra Nauarr. in *Enchir. cap. 21. num. 24. tenet. A 7or. in loco citato*: eum non excusari à peccato qui alterum vrbantatis, hospitalitatis, aut amicitie gratià ad cenam suppliciter inuitat in die ieiunij. Hæc probatur quia talis excusatio non dicitur fundamento sufficienti. Illud enim quod Nauarr. ponit licere iusta de causa alium inuitare ad actum aliquem suo genere bonum vel indifferentem, si nullatenus consentiatur in eum quatenus male fit, aut ex aliqua circumstantia malus est: ut ex eo patet quod liceat mutuum ab eo petere, qui scitur non nisi ad usuram daturus: & sacramentum petere à proprio Parocho, qui scitur etiam, illud in peccato mortali administraturus: & sic de multis alijs. Illud inquam fundamentum facile eueritur: ut enim Azor. bene ait, non peccamus quidem quando videntes iure nostro petimus ab altero aliquid de se bonum vel indifferentem; quod etsi non est præstiturus sine peccato, ipsum nihilominus tale est quod possit si velit præstare sine peccato: sicut potest vsuarius, si velit pecuniam mutuum dare sine usura: & sic de reliquis, que Nauarr. in exemplum adfert in sequenti numero 25. Sed si tale sit, quod alijs à quo petitur præstare non possit sine peccato (quale est, sine iusta causa in die ieiunij cenare (peccamus inuitantes ad illud, ut pote quod ita malum est, ut etiam si quis velit eo bene uti non possit.

Tertium dubium est, An mortaliter peccet paterfamilias, qui illis quos habet in sua familia: aut hospes, qui iis qui ad se diuertunt cenam ministrat, nullam iustam habebit causam excusationis à ieiunio.

**H**oc valde torfit Gabrielem ut ipse indicat in 4. *distincti. 16. quæst. 3. art. 3. dub. 6.* ubi illud latius tractat. Et autem his propositionibus satisfieri posse videtur.

196. Prima est, mortale peccatum esse si paterfamilias indifferenter aperta, ut vocant, mensa omnibus de familia sua, tam iis qui sciuntur ad ieiunium seruandum teneri, quam iis qui creduntur à ieiunando excusari, ministrat cenam in die ieiunij. Item si hospes similiter faciat iis qui ad ipsum diuertunt: non secus ac faceret alijs diebus, nulla admonitione de ieiunio facta, nullaque ratione habitam habent necne iustam causam non ieiunandi. Hæc supposito eo, quod ex præced. cap. patet: sicut mortaliter peccare illum qui in die ieiunij cenat ab iusta causa, probatur, quia in tali casu cenam ministrare aduersatur dilectioni Dei & proximi, scandalosumque est. Ergo peccatum est mortale.

Probatur consequentia per illud 1. *ion. 3. Qui non diligit manet in morte.* & illud *Matth. 18. Vt homini per quem scandalum venit.* Antecedens vero probatur argumentis Gabrielis cuius doctrinam Nauarr. approbat in eod. cap. 21. num. 26. Primum enim contra dilectionem Dei est, non carere in nobis & in alijs quantum possumus, offensam ipsius: cum charitas hoc ipso, quod ad dilectionem Dei mouet, inclinatur, remoueat auertatque ab illius offensa. Illi autem qui eo quod diximus modo cenam ministrant, non cauent offensam Dei mortalem quantum possunt. Ergo peccant mortaliter. Deinde contra proximi dilectionem est, atque adeo peccatum mortale ex cap. *Faciens distincti. 86.* non erudire illum à peccati mortalis periculo cum possit, vel non corrigere mortaliter

peccantem, aut in peccatum mortale prolapsum. Ergo multo magis erit illi cooperari ad corrumpendum in peccatum ut is facit qui suppeditat cenam in die ieiunij non seruanti ipsum absque iusta causa. Consequentia est manifesta, præsertim quoad patres familias, de quibus in priori ad Thom. cap. 5. Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior. Quoad cæteros quoque, patet per illud *Ecclesiastici 17. Madauit Deus vniciuique de proximo suo.* Cuiusmodi si curam certum est eo maiorem debere esse circa animam, quam circa corporis damna cauenda: quia hæc sunt illis perniciosiora. Probatur autem antecedens ex D. August. *relato in cap. Non putes 23. quæst. 5.* Non putes inquit te tunc amare seruum tuum, quando eum non cedis; aut tunc amare filium tuum, cum ei non das disciplinam; aut tunc amare vnicum tuum, quando eum non corrigis: non est ista charitas sed, languor: seruet charitas ad emendandum & corrigendum: si sunt boni mores, delecent: si autem mali, emendentur. & cap. Qui vitis, ead. quæst. Qui vitis nutriendis parci & fauere ne contrister peccantium voluntatem: tam non est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem: & non timet ne vulneratum doleat aut extrinsecum. Denique quod id quoque scandalosum sit, seu causam præbeat ruinæ, probatur: quia perique talium qui ieiunare valent, non solerent ieiunium, nisi paratam mensam haberent: iuxta illud tritum, Obiecta mouent potentiam. Deinde multi alij moribus infirmi, cognoscentes adeo publice & indifferenter præberi secundam refectionem, id ipsum imitantur vel errore decepti putantes præceptum ieiunij non ligare; cum tam aperte ab iis, de quibus meliora præsumunt, non seruari videant; aut propria cupiditate illecti, cui succumbant inuitati exemplo multitudinis: eorum, præsertim se maiorum, qui adeo publice, & sine sensu offensus diuiniæ violant ieiunium, quod quidem exemplum si non præberetur, tam vniuersè & aperte multi sine dubio se à violatione ieiunij cohiberent, qui non faciunt.

Sed videtur in contrarium esse consuetudo, quæ tam in Principum curijs, quam in domesticis communitatibus, & hospitibus, cenam volentibus datur indifferenter. Ea enim ceteri potest non modò præscripta, cum illius initij non sit memoria, sed etiam rationabilis: quia si principes aut patres familias, vel hospites non vterentur prædicta, ut vocant, aperta mensa, darent occasionem iniurijs, maledictionibus, blasphemijs & prauis iudicijs, quibus iudicabuntur non facere id ex deuotione, sed ex tenacitate, vel ex alia indebita causa: quæ peccata grauiora sunt fractione ieiunij: ut argumentum est, quod vxor, quæ ieiunando talium occasionem præberet marito, solet excusari à ieiunio ipso seruando. Respondendum autem est cum Gabriele, consuetudinem eam non esse communem apud homines sollicitos de æterna sua salute: & corrumptam esse potius, quam consuetudinem censendam: ut pote quæ ad peccatum inducit, nempe ad violationem præcepti de ieiunio non abrogari: laxatque frana carnali concupiscentie: & ideo irrationabilis esse censenda est. nec præfata præcepto præiudicare iuxta cap. *Ex parte & cap. Cum tanto de consuetud.* Idque maxime, quia sicut in via doctriinæ non multorum insipientium, sed potius paucorum sapientium sententiam sequimur: ita in via morum, paucorum potius de sua salute sollicitorum, quam multorum illam parum curantium, rationi agendi ad hæretum debeamus; cum ex Diui Matthei cap. 17. angusta sit porta & arcta via quæ ducit ad vitam, paucique sint qui inueniunt eam. Contra vè d. lata sit porta & spaciola via quæ ducit ad perditionem multique, sint qui intrant per eam. Cui rationi robur addit illud diuinum monitum *Exod. 23. Nō sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero deues.* Cui autem dicitur recusando cenam dari occasionem blasphemijs; & alijs quibus maius peccatum committitur quam omissione ieiunij, negandum est dari: quia nolle alteri suppeditare materiam ieiunij frangendi cum peccato mortali, nō est illum inuitare ad blasphemandum: sicut nec reculare viam, volenti se, eo inurgitare: aut depositum gladium, volenti se vel alij occidere. Ex propria igitur malitia inde occasione peccandi accipit, sicut Pharisei ex verbis Christi Domini *Matth. 15. de quibus cum Discipuli dicerent: Scis quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt; ait eis Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.*

Sed virge bitraliquis cœnam esse rem de se licitam, quam vt debitam possit à domino seruis fieri, & promissam mercedem, à patre, filius: ab hospite, pro pretio iusto extraneus petere, Quare dari poterit, eo tantum animo, vt debito satisfiat, nullo modo autem vt communicetur illius deprauatæ voluntati. Respondetur, ex Nauar. in eodem num. 26. quod etiam si in eo non communicetur ipsius deprauatæ voluntati, communicari tamen actui, quo eadem deprauata voluntas executioni mandatur, nimirum suppeditando materiam vel instrumentum ad talem executionem perficiendam, aut continuandam: quod illicitum est perinde ac cū seruus perit à domino mercedem sibi iuste debitam, sciturque petere ad executionem prauæ voluntatis quam habet fornicandi: tunc enim datur quod ab eo petitur, grauius peccat tanquam cooperator sceleris. Procedit autem tradita propositio non modo cū quis propria sponte nec requisitus cœnam suis ministrat, sed etiam cum à suis requisitus: quia talis requisitus non reddit licitam eam cooperationem ad requirentis necem spiritalem: sicut nec requisitus regis Saul impediuit, ne à Dauid dignus morte iudicaretur iuuenis Amalecites, qui eundem regem ab ipso requisitus occidit, ex lib. 2. Reg. cap. 1. Aduerte patrem familias aut hospitem non excusari in hac re tanquā præstantes id ad quod tenentur. Non enim ad aliud tenentur, quam ad suppeditationem necessariorum ad victum honestum, ratione consentaneum.

98. Secunda propositio Peccatum mortale committitur non modo cum publice & palam: sed etiam cum priuatum & secretum, cœna in die ieiunij præbetur ei qui scitur aut probabiliter creditur non habere excusationem iustam; nempe quia dicit se nolle ieiunare etiam si possit, aut apparet legitima ætatis, bonæ nec debilis constitutionis: nec fatigatus inedia nec grauatus labore. Probat, quia modus quamuis vt diuersus est à præcedenti, liberet à scandalo; non tamen à peccato transgressionis præcepti Ecclesiastici, cui cooperari in tali casu perinde est contra dilectionem Dei & proximi, atque in casu propositionis præcedentis.

99. Sed aduerte quod si filij aut famuli essent valde molesti patrifamilias, nec huius pili monitionibus flexivellent, animo obstinato suæ cupiditati seruire statuentes, non esset peccatum mortale, illos suo arbitrio relinquere: quia nullo præcepto obligatur paterfamilias cogere suos filios aut famulos seruire ieiunium, sed solum ex charitate corrigere & monere: quod ex Ledefmo notat Azor. in cit. lib. septimo cap. 20. quest. 12. Ad quod facere videtur illud ad Ephes. 6. Vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini. Quanquam nolim asserere, quod possit talibus cœnatis suppeditare pisces & alios cibos non permittos in collatione, de qua antea n. 184. quia id esset cooperari peccato illorum perinde ac pransuris suppeditare carnes vel oua. Illos verò cibos quos in prædicta collatione sumi receptum est consuetudine rationabili, suppeditare etiam in quantitate ad refectonem sufficientem, nolim dicere peccatum mortale; quia id res est de se non illicita, & qua alter vt possit absque peccato, si velit: putat sibi temperando ab excessu, nec plus de talibus sumendo quam recepta consuetudo ieiunantibus concedat. Cauendum tamen est à scandalo pusillorum, qui videntes tantam copiam ciborum, existimabunt non tantum cœnam, sed etiam plenam cœnam esse licitam in die ieiunij. Quæ perniciosa opinio non ratione, sed gula suadente sic inualuit, vt ab ea bona pars hominum, nec exhortationibus Prædicatorum nec obiurgationibus Confessoriorum, nec conscientie aculeis, æternique supplicij terroribus diuinitus incussis, ab eam deduci possit.

100. Tertia propositio. Excusantur à peccato mortali patrefamilias & hospites dando cibos in die ieiunij cœnatis, requisiti ab eis, non modo cum illi iudicent tam probabile esse, quod iustam excusationem à ieiunio habeant, quam quod non habeant: vt cum apparent iuniores, aut valde senes, aut corpore debiles, aut inedia vel labore confecti: sed etiam cum incerti sunt, nec habeant quod probabiliter credant: vt fieri potest, cum illi postulando cœnam, afferunt se latens impedimentum ieiunandi, aut dispensationem habere: & nihilominus indicia quædam contraria apparent, non tamen sufficientia ad probabiliter credendum. Hanc propositionem Medina in Cod.

de ieiunio, quest. 11. sub finem probat: quia de proximis non est præsumendum quod deterius est, nec quod illi sint æterna suæ salutis immemores, quando talis præsumptionis causa iusta non habetur. Cauendum est tamen à scandalo pusillorum. Nam quamuis sufficiat ad liberationem à peccato violationis ieiunij, quod quis sciat se iustam illius executionem habere, etiam si latentem: non sufficit tamen ad liberandum à peccato scandalii, quo frater infirmus eiusmodi executionis causam ignorans, inducitur eo exemplo ad violandum ieiunium cum detrimento suæ salutis. De quare plenius Gabriel loco citato ante solutionem argumentorum.

Quarta propositio. Is mortaliter peccat qui in die ieiunij familiam suam, quæ alloquin ieiunare tenetur & potest, compellit ad opera, quæ cum ieiunij obseruatione stare non possunt, si in aliam diem commodè differri queant. Hanc ex Gabriele habet Azor. in cit. quest. 12. sine probatione: quæ esse potest, quod mortale peccatum sit absque causa & ex sola animi libidine impedire aliquem ab impletione præcepti ipsius obligantis sub mortali: sic enim qui Sacerdoti furripit Breviarium, sciens fore vt non possit dicere Horas canonicas; aut Sacerdos ipse ieiunium illud in flumen abicit, peccat mortaliter; sicut & ille qui alterum apud se detinet, vnde nouit secuturum vt Missam die festo non audiat; & sic de similibus, de quorum numero sunt, vt ex Maiore Azor. habet, patres familias, qui cum possint commodè, non præbent familiæ suæ sufficienter cibos, cum quibus seruire queant ieiunium ad quod obligantur. Nam & tunc impedimentum adfertur obseruationi præcepti de ieiunio. Ponuntur similiter ex Caiet. 2.2. quest. 147. art. 4. & ex alijs quos in præced. cap. 17. quest. 8. refert. Azor. qui operarios ieiunaturos conducere nolunt: id enim est eos ad ieiunium omittendum excitare. Quæquam tamen ex eodem Caiet. duo sunt, per quæ possunt à peccato excusari. Alterum, si deo nolint quod ieiunaturi qui minus operis facturi sunt, nihil volunt diminueri de mercede, quæ debet operi respondere. Alterum si virgeat nec sitias expediendi opus, tunc enim recusare possunt ieiunantes per quos expediri non potest. Idem quoque docet Abulenensis ad 6. cap. Diui Matthæi, questione 143. in fine.

Dubium quartum. An mortaliter peccent qui in diebus ieiuniorum cibos prohibitos venales exponunt.

De hoc Azor. in eodem lib. 7. cap. 20. in fine, duas refert opinioniones; beneque iudicat ipsum sic explicari distinctione. Vel publice ac palam venales exponunt: & sic dubitandum non videtur, quin peccent mortaliter, tanquam dantes multis occasionem mortaliter peccandi violatione ieiunij: vnde fit, vt talem expositionem tanquam animabus perniciosa non permittat Magistratus, suæ & suorum salutis curam aliquam gerens: vel certe venales exponunt priuatum & occultè pro infirmis: tuncque si probabiliter credat ad soluendum sine iusta causa ieiunium, emi ab emptoribus peccare vendendo. Si verò id ipsis incertum sit, nec sufficienter appareat: posse ipsos excusari à peccato; sicut & eos (iuxta ante dicta num. 200.) qui cibos præbent cœnatis quos incertum est, an habeant iustam causam non ieiunandi. Quæ etiam est expressa doctrina Medina in fine cit. questionis 11. Illam confirmantis hac ratione, quod non sit temere de proximo iudicandum, nec ei danda occasio scandalii: vt videtur fieri, cum venditores publici, cibos quos venales habent, petentibus denegant, sine fundamento præsumentes de illorum peccandi voluntate: vnde temere iudicantes, occasione dant rixarum & irrogiorum. Addit Medina tales venditores non teneri exactè discutere an emptores habeant necne, sufficientem causam qua excusentur à ieiunio: quoniam talem discussionem facere conuenit specialiter patrifamilias respectu suorum domesticorum, quorum specialem debet curam gerere. Quod si venditor habeat causam aliquam dubitandi de aliquo tali impedimento, debet ad dubium rationaliter deponendum super eo prudenter interrogare eumentem: tuncque maximè cum probabiliter iudicat, se posse illum iuuare, & à praua voluntate deducere, si absque iusta causa ieiunium soluere velle inueniatur.

## CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De causis à peccato excusantibus non obseruantem ieiunium Ecclesiasticum.

## S V M M A R I V M.

- 203 Heresis Begardorum & Beguinarum, quod soli peccatores obligentur ad ieiunium.
- 204 Iusta causa excusat à peccato non obseruantem, quae varia est.
- 205 Per causam impotentiae adolescentes vsque ad 21. annum excusantur à ieiunio Ecclesiastico.
- 206 An id sit intelligendum cum aliqua restrictione.
- 207 Quando possint adolescentes ad ieiunium adstringi in precepto.
- 208 Adolescentibus, in quibus predicta excusatio locum habet, non licet in die ieiunii cibis venis vti, & quando liceat infantibus.
- 209 Qui senes excusentur à ieiunio Ecclesiastico, ac qui infirmi.
- 210 Excusantur mulieres pregnantes & lactantes.
- 211 Qui pauperes excusentur.
- 212 Necessitas excusans à ieiunio.
- 213 Excusatio agricolarum, & laboriosas artes exercentium.
- 214 An ea extendatur ad diem ieiunii, in quo laborem intermittunt.
- 215 Nec labor maximus necessarius est nec minimus sufficit ad excusandum à peccato violationis ieiunii.
- 216 Medicorum requiritur: vnde statuitur in particulari de artificibus, qui censentur à ieiunio excusari quae verò non.
- 217 Excusatio eorum, quibus aliquid debitum incumbit, quod exequi nequeunt ieiunando.
- 218 Labor quem quis nequit cum ieiunio sustinere, excusat, cum fuerit necessarius suscipiendus, alias minime.
- 219 Ex pietate excusatur à ieiunio qui incumbit operi, quod maius est eodem ieiunio, nec ipsum secum patitur.
- 220 Voluntaria peregrinatio ad loca sancta, quando excuset ab obseruatione ieiunii.
- 221 Quando ob amicitiam, aut metum grauem liceat frangere ieiunium.
- 222 Excusatio existimantis bona fide iustam habere causam non ieiunandi.
- 223 De supplendo defectu per auctoritatem Superioris, cum dubia est causa excusationis.
- 224 Quod non est necessarium, si Papa aut Episcopus dispenset in ieiunio instituto per suum, aut sui predecessoris decretum.
- 225 Ieiunium pro tota Ecclesia indictum, quatenus relaxari possit ab Episcopo, ac etiam à Parocho, & à religiosarum familiarum Praelatis.
- 226 Documenta de relaxatione ieiunii notanda pro praxi.
- 227 Superior in dispensando non debet superuolus esse, nec rem in subditi conscientiam recitare.
- 228 Qua ratione valeat Parochus relaxare ieiunium in causa dubia.
- 229 Non potest Confessarius in causa dubia ieiunium relaxare.

**P**receptum Ecclesiasticum de ieiunio obligare quemlibet Christianum, nisi rationabili de causa excusetur Caiet. in verbo ieiunium cap. 3. ostendit ex eo, quod ipsum generale sit, & toti populo Christiano commune, prout recepta Ecclesiae vniuersae consuetudo declarat: quae est sententia expressa D. Thomae in cit. art. 4. & aliorum, quos in 4. distinct. 16. quest. 3. art. 2. Gabriel commemorat.

203. Atque illud quod Begardi & Beguinae absurdè senserunt obligare solos peccatores, non autem iustos & perfectos, bene refellitur ab Abulensi ad cap. 6. D. Math. quest. 138. & ab Alphonso Castro aduersus haereses, verbo ieiunium, haeresi tertii: & à Bellarm. in controuersia de bonis operibus lib. 2. cap. 10. De quo errore ad nostrum institutum sufficere notasse eum damnatum esse ab Ecclesia in Concilio Viennensi vt patet ex Clement. Ad nostrum De haeretis: & quod nemo tam sanctus sit in quo ex cap. 3. epistolae ad Galatas, caro non concupiscat aduersus spiritum. Vnde cum ieiunium non solum sit satisfactorium pro peccatis praeteritis: sed etiam iuuet pro vitandis futuris; proque se praeseruando ab illis: nullus tam sanctus est, quin ei vile sit carnem edomare per ieiunium exemplo D. Pauli; quamuis raptus fuisset in paradysum, & audiisset arcana verba quae non licet homini loqui: atque responsum accepisset, Sufficit tibi gratia mea: corpus tamè suum

castigabat, & in seruitutem redigebat ne praedicans aliis, ipse reprobus efficeretur [ex prioribus ad Corinth. cap. 9.]

Quamuis autem id ita sit, non omnes tamen Christiani qui praedictum preceptum non seruant, peccant, sed solum qui nullam iustam causam habent non seruandi: qui enim iustam habent, excusantur. Quae causa, vt loco cit. docet Caiet. potest esse vel vera, vel existimata, vel authorizata: ac rursus vera multiplex, sed quae ad tria capita reuocari possit, nempe ad impotentiam, pietatem, & necessitatem. Cum enim excusatio ab obligatione praecipi humani ex eo nascatur, quod Superioris à quo datur voluntas sit consulere subditum bono, vt ipse qui praecipit potestatem acceperit non in distinctionem, sed in adfectionem, ex posterioribus ad Corinth. cap. 13. taleque bonum, sit vel corporis, vel spiritus, vel externae substantiae: quando per obseruationem praecipi laederetur corpus, impotentia excusat ab illa: quando verò laederetur spiritus, excusat pietas: quando denique laederetur substantia externa, excusat necessitas. De quibus singulis sigillatim dicamus oportet.

De causa impotentiae.

## S E C T I O I.

**E**x impotentia à ieiunio Ecclesiastico excusat Caietanus, primo loco adolescentes vsque ad annum vigesimum primum completum; sed vtrum bene dubitari potest. Nam pro contrasententibus: de quibus 22or. in 1. part. Moral. in sit. lib. 17. quest. 2. ratio haec facit, quod adolescentes ante illam aetatem multa peccata committere soleant, quibus perinde ac maiores natu per ieiunium occurrere debent: & vt occurrant compellendi videntur.

Excusatio adolescentium.

**S**ed auctoritas D. Thomae in eodem art. 4. ad 2. quam non modo Caiet. sed etiam Abulens. in sequen. qu. 139. pluresque alij quorum 22or. quoque memini sequuntur sufficit ad tenendum tutam conscientiam id quod dictum est, vt communis tenentis monent D. Anton. 2. par. tit. 6. & Gabri. in 4. dist. 16. ille cap. 2. §. 4. & hic quest. 3. artic. 1. notab. 4. nam satis bona ratione D. Thomas vultur tempore, quod adolescentis vsque ad eam aetatem soleant indigere frequentiori cibo, & in magna copia propter abundantem in eis vim caloris, cibum ipsum facile absumunt: & operantur non solum vt nutriat, sed etiam vt naturae debitum incrementum in eis perferat. Cum igitur Ecclesia non intendat quemquam praecipto ieiunii obligare, cum detrimento notabili bonorum corporis, existimandum est adolescentis non ante obligari ad ieiunium Ecclesiasticum quam absoluerint vigesimum primum annum seu tertium septennium, in quo secundum physicos absolutur hominis accretio. Quam rationem & alia ad rem hanc spectantia, bene tractat loco citato Abulensis. Sed pro praxi nobis propolita sufficit addere responsum ad rationem in contrarium allatam: quod etsi tales adolescentes multa peccata committant, non ideo tamen necessarium esse vt praecise per ieiunium ab Ecclesia praeciptum, debeant pro illis Deo satisfacere: nam non desunt alij satisfaciendi modi.

Si queras num ante eam aetatem adolescentis, si non ad omnia laetam ad aliqua ieiunia teneantur.

Respondendum est secundum Abulens. ibidem, teneantur quia causa supradicta per quam excusantur à ieiunio quod sit licet frequentiore, & abundantiore cibo egeant ratione augmentationis, non datur aequaliter toto illo tempore, sed quanto quis magis accedit ad finem augmentationis, tanto minor est augmentatio & per consequens tanto minor causa sepius comedendi. Deinde vt Medina argumentatur in Cod. de ieiunio questionibus, quamuis tales non possint omnia ieiunia, possunt tamen aliqua sine corporis aut sanitatis detrimento seruare: vt ieiunia Quatuor temporum, vigiliarum, & duorum vel trium dierum hebdomadae in Quadragesima. Eos ergo ab his excusandi nulla est iusta causa. Verum tamen quia D. Thomas loco citato, & cum eo sum Caiet. tam etiam Nauarr. ille ad eum locum D. Thomae, & hic in Enchir. cap. 21. num. 26. ab soluet & sine tali restrictione dicitur, non ante vigesimum primum annum adolescentes ad ieiunium Ecclesiasticum teneant, non putatim incommodum, sed ad quod situm respondeatur negative; maxime cum videamus consuetudine seruari vt adolescentis ieiunandum

cundum quod etate crescunt, ad ieiunium vel inuenterur vel compellantur ab illis qui ipsorum curam gerunt : quod conueniens esse D. Thomas consequenter admonet: non quasi iam sint adstricti præcepto ieiunij, sed tanquam asuescendia ad illud seruandum cum ad legitimam etatem peruenerint. Accedit quod ex contraria sententia, timoratis magna conscientia perturbatio, & animi anxietas oriri possit, dum non constat nec facile iudicari potest, ad quæ ieiunia quis dum etas paulatim crescit, teneatur.

Nota vero primo, cum Nauar. *ibidem* ex D. Thoma vrgente graui necessitate posse adolescentem præcepto adstringi ad ieiunium: siue necessitas sit publica: qualis fuit propter quæ Ionæ 3. datum est præceptum, vt homines & iumenta non gustent quidquam: siue sit priuata, vt ea quam patitur persona, illius implicata, in cuius remedium Confessarius imponit ieiunium. Nec obstat quod detrimentum ex tali ieiunio sequatur: quia ipsum est priuatum & corporale, quod publico & spiritali potest poni debet.

Nota secundo, prædictam excusationem locum habere etiam in Religiosis, qui nondum vigesimum primum annum exceperunt: siue sint nouitij, siue professi, vt ex Gabriele & Rosella notat Azor. in cit. quest. 2. quia in illis perinde ac in aliis causa excusationis locum habet. Attamen, vt *idem* alios secutus in sequenti quest. 3. sentit, non excusantur à ieiunijs quæ iniunguntur, per regulam suæ religionis, eo quod illius obligationi voluntate sua se submiserunt, qua sicut extra religionem potuissent se ad ieiunium seruandum adstringere, verbi gratia, illud vouendo: sic etiam poterunt in religione, obligando se ad obseruationem præceptorum illius.

Nota tertio, adolescentem excusatum à ieiunio, non excusari pariter ab abstinentia à carnibus, & alijs cibis prohibitis, vt communis Ecclesiæ vsus satis ostendit. Infantibus autem nondum prædictis vsu rationis infra septennium tales cibos præbere, non esse licitum: nisi consuetudo sit in contrarium: prout ex Caiet. & Cordub. notat *ibidem* Azor. Cuius rei ratio esse potest quam in cit. a quest. 139. tangit Abulensis: quia ad infantem non extenditur obligatio, cum per se nihil agant, sed ipsi agantur, id est, moueantur ad alterius imperium. Consuetudine autem in contrarium existente id scandalosum esset, maxime hoc tempore in quo tale quid posset porrigentes de hæresi suspectos reddere.

## Excusatio senum.

Secundo loco ex impotentia Caiet. ait in cit. cap. 3. senes à ieiunio excusari: de quo nihil esse iure constitutum communis omnium sententia est: vt à multis notaturum Azor. habet in memorato cap. 17. quest. 4. ideoque dum senes firmo & valido sunt corpore, ieiunium seruare debent: ita vt etas senilis non præbeat iustam excusationis occasionem, nisi simul ad sit aliqua senilis etatis infirmitas: quæ cum non contingat similiter in omnibus (quandoquidem natura non determinauit in senibus tempus defectus, sicut in pueris determinauit tempus profectus seu augmenti) atque alijs alijs senescat, fit vt definitum non sit tempus certum, in quo debeat quis ex senili etate à ieiunio excusari, prout bene notat Abulensis in seq. quest. 147. sed relinquatur prudentis arbitrio definiendum, quis ex hoc capite legitimam causam habeat, prout Nauar. in Enchir. cap. 21. nu. 16. annotat. Ait tamen Sylu. in verbo ieiunij, quest. 6. vers. 2. quod regulariter ratione senilis etatis, merito excusentur à ieiunio qui septuagesimum annum expleuerunt. In quam sententiam Azor. in eadem quest. 4. alios citat: & Gabr. in 4. distinct. 16. quest. 3. art. 1. notat. 4. communiter eam à doctoribus teneri aunt. Cæterum possumus in fauorem senum cum Caiet. in citato cap. tertio tenere, sicut tenet Azor. quod excusentur à ieiunio Ecclesiastico sexagenarius, nisi ex robustiore complexione constet ipsum posse absque notabili læsione sui, illud seruare. Rationem reddit Caietan. tum *ibidem* tum 2. 2. quest. 147. art. 4. quia communiter vitæ humanæ terminus est annus septuagesimus iuxta illud Psalms 89. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Vnde etas senilis qua homo ad interitum vergit, potest communiter in anno 60. constitui: iuxta illud ad Hebr. 8. Quod antiquatur & senescit, prope interitum est. Quare sexagenarius, nisi euidenter constet quod possit seruato ieiunio, cibum ipsi oportu- num digerere, ac vitam tolerare: possunt debilitati quam sentiant

subuenire, frequenti & modico alimento: quoniam senectus est morbus incurabilis, cum quo non est expectandus casus maioris roboris habendi.

## De excusatione infirmorum.

Tertio loco ex impotentia, Caiet. à ieiunio Ecclesiastico excusat infirmos, quando ieiunium manifeste eis nocere potest, aut ex Medicorum timorem Dei habentium sententia, tale quid merito cavendum est. Idem sentiunt tum Gabr. & Sylu. *ille loco cit. & hic in sequenti quest. 9.* tum etiam Abulensis in seq. quest. 148. distinguens infirmos in ægros, qui patiuntur morbum aliquem ex alteratione vel corruptione humorum: & in debiles, qui siue ex precedenti ægritudine, siue ex naturali quadam impotentia non possunt totum cibum eis ad sustentationem necessarium simul & temel sumptum digerere: sed grauantur & relinquuntur in eis humiditates quædam indigestæ morbum generantes: quorum priores in edendo vel abstinendo à cibis, sequi debent non ieiuniorum, sed medicorum regulam, inquit Abulensis: posteriorum vero eadem est ratio, quæ senum. Eandem doctrinam ex Palud. habet Nauar. in cit. nu. 16. Additque ex ipso Caiet. ad antea memorat. art. 4. excusari etiam ratione infirmitatis, illos qui tam debilis complexionis sunt, vt vacuo stomacho dolorem capitis, aut vertiginem patiantur, aut tota nocte calere & dormire nequeant. Si quæras an hoc obcedat quantum cumque infirmitas contracta sit propria culpa. Respondetur affirmatiue. Paludano in 4. distinct. 15. quest. 4. art. 2. conclus. 5. & Rosella in verbo ieiunium num. 21. quia non obstante propria culpa, talis infirmitas (vt supponimus) vere seculum vebit impotentiam ad ieiunandum sine læsione notabili.

## Excusatio mulierum quæ sunt prægnantes aut quæ lactant.

Quarto loco ex impotentia Caiet. à ieiunio excusat mulieres prægnantes & lactentes: cui consentiunt tum Palud. Gabr. & Nauar. locis cit. tum etiam Abulensis & Sylu. *ille ad cap. 6. D. Matth. quest. 146. & hic in cit. quest. 9. versu 5.* qui indicat ad talem excusationem requiri, vel debilitatem de qua ante dictum est: vel quod timendum sit de earum periculo si ieiunent, vel de abortu aut defectu alimenti pueri: cuius nocenti vitandi causa non tantum possunt, sed etiam debent ieiunium dimittere, vt docent etiam tum Caiet. *iple ad eundem art. 4. versu ad 2. & cum eo Nauar. in eodem num. 16.* tum etiam Abulensis in cit. a quest. 146. Adde id procedere siue mulieres suos, siue alienos infantes nutrant. Aduerte autem ex eod. Caiet. quia mulieres communiter non sunt tam robustæ naturæ vt vnica refectione possint tantum alimenti sumere, & digerere quod pro se & prole sufficiat, prægnantes & lactentes vt tales, à ieiunio excusari: cum lex sit de ijs quæ vt plurimum contingunt.

## Excusatio pauperum.

Postremo tandem loco ex eadem impotentia excusari Caiet. pauperes qui hora prandij non possunt habere sufficientem refectionem: vt solet contingere ijs qui ostentim mendicantes non inueniunt quod eis sufficiat ad famem suam explendam, prout habet Abulensis in præced. quest. 142. eademque est sententia D. Thoma in cit. art. 4. ad 4. & Palud. in præced. concl. 3. Secus verò esse de ijs pauperibus qui habere possunt sufficienter ad vnam plenam refectionem, vt *idem* authores addunt: quod ex se manifestum est: quia in illis ratio impotentie cessat. Excipiendus est tamen, prout alius citatis Azor. habet in sepe memorato lib. 7. cap. 17. quest. 7. illic qui cibos ad refectionem sufficientes habere potest quidem, sed quibus non licet in die ieiunij vesci: vt si mendico hæreticus præbeat refectionem, in qua apponant carnes sine alijs cibis, qui ad illam sufficere valeant.

## De causa necessitatis.

## SECTIO II.

Necessitas aliquem à ieiunio excusat, prout Caietanus tradit in verbo ieiunium, cap. tertio, quando cumque ei faciendum est aliquid, quod non patitur ieiunij obseruationem: ipsumque est necessarium ad salutem animæ vel corporis: vt si ad saluandam vitam ei longe, & cito fugiendum sit, nec commode id facere possit ieiunans: vel necessarium est ad

conditionem status sui temporalis: vt si bellum gerens, ita ieiunio debilitetur vt arma gestare, & caeteros belli labores ferre non possit: vel ad vitandum damnum temporale; vt si ex agro colligendum sit ei frumentum, aut ex prato fenum: vel ad aliquid acquirendum de raro contingentibus: vel ad aliud quod etsi requirat laborem impossibilem cum ieiunio, eum tamen ideo suscipere debeat, quod aliter nequeat se, suamque familiam alere, vestire, dotare filias, sustentare filium in studijs, &c.

*Excusatio agrorum & artes laboriosas exercitium.*

213. **E**X prædictis Caietanus infert non modo in agricultura, sed etiam in quacumque alia arte laborantes, si non possint ieiunare cum tali labore: sine quo vix, aut ne vix quidem possint acquirere omnia sibi, suæque familiæ necessaria, non teneri de eodem labore minuire, vt possint ieiunare. Quod idem sentientes Azor. in seq. qu. 8. plures refert. Tam si laborantes, sint alias diuites: non possunt quidem ex hac præcisè necessitatis causâ excusari ne laborem suum minuire debeant, vt præcepto de ieiunio satisfacere valeant: ex privilegio tamen censeri possunt excusari posito eo quod referunt, tum alij quorum idem Azor. ibidem meminit: tum etiam Medina in Cod. de ieiunio quest. nona: Eugenium quantum concessisse, aut potius declarasse: opifices qui laboriosas artes exercent vt fabros ferrarios, latomos & similes: atque agrorum cultores siue diuites sint, siue pauperes non teneri ad ieiunia sub peccato mortali: & a Confessarijs absolui posse consulendo illis, vt eleemosynis alijsque pijs operibus vacent.

Dixi autem (aut potius declarasse) quia ex Nauar. in eod. nu. 16. illud non tam fuit privilegium, quam declaratio iuris communis: in hoc fundati, quod artifices qui volunt in talibus laboribus vitam agere, vix carere soleant aliqua necessitate per quam excusari possint. Si quidem ea non debet extrema esse, & quæ hominem nisi is prouideat, sit extinctura: sed sufficiat talem esse per quam homo reddatur indigens eorum quæ ad vitam sustentationem requiruntur: qualia sunt non tantum cibus & potus quotidiani, sed etiam domus & vestes, aliaque adminicula ad vitam, quæ languoribus est communiter obnoxia; ita vt bene valentes sibi quoque debeant de ijs prouidere, quibus languentes effecti, sustentare se possint: prout bene notat Abulen. ad cap. 6. D. Matthai, quest. 143. Ad idem, quod si quis lucrum ad quotidianum cibum sufficiens faciat ex suo labore, non dicatur habere sustentationem, nisi adhuc aliquid ei superabundet, vnde vestes & alia sibi ac suis necessaria habere possit. Ideoque necessitate habendi talia, assumens laborem cum quo ieiunare nequit, excusatur à peccato violationis ieiunij. Quia tamen in re vti dem recte monet cauenda est superabundans prouidentia: qua scilicet quis plura, quam sint sibi necessaria esse iudicat, ob inexplibilem habendi cupiditatem, quæ refrænda est Dei timore, & amore celestium rerum. Quia nihil prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. Matth. 16.

214. Sed quaerit aliquis. An prædicta excusatio ex necessitate laborandi, habeat locum pro eo etiam die ieiunij in quo operarij laborem intermittunt; siue quod sit dies festus, siue quod occurrat occupatio, quæ ieiunio non adfert impedimentum. Respondendum est cum Azor. in cit. quest. 8. eam locum habere posse in duobus casibus. Alter est, cum nisi ieiunium soluant reddentur ad labores & operas inepti in posterum. Alter vero, cum ex labore præterito sunt nimium defatigati. Cui responsioni fauet quod Abulen. habet in præced. quest. 141. in fine, viatores qui subsistentes alicubi in die ieiunij ita debilitantur ieiunando, vt non possent conuenienter persequi suam peregrinationem, excusari à ieiunio. Porro in dubio; num aliquis talis casus occurrat necne, determinandum relinquitur arbitrio viri boni: sicut & cum de aliquibus artificibus dubitatur, an talem laborem coniunctum habeant cum exercitatione suæ artis, vt merito excusentur à ieiunio. Quod etiam ibidem Azor. notat.

*Ratio iudicandi. De labore sufficiens ad excusandum à ieiunio.*

215. **A**D quod arbitrium recte formandum iuuabit aduertere illud, quod abulen. in seq. quest. 143. habet; quod

non debeat quis putare se excusatum à ieiunio propter quamcumque afflictionem quam sentiat ieiunando simul, & laborando: quia illi etiam qui non laborant, aliquantulum affliguntur si ieiunent, nec tamen ideo excusantur à ieiunio. Neque etiam contra putare debeat se tam strictè obligatum ad ieiunium, vt oporteat ipsum sustinere omnem afflictionem quam potest; atque adeo non obstante labore ieiunare. Etenim inde ægritudo & debilitas nata est sequi: facta scilicet corporis resolutione nimia per nimium illius motum: Id verò est cōtra intentionem Ecclesiæ præcipientis ieiunium. Nam ea est inducendi homines ad virtutis statum: non quidem pro vno, vel paucis diebus, sed pro toto vitæ tempore. Cui fini repugnat, Ecclesiam per suum præceptum exigere ab illis vt totum omnino quod possunt, faciant: quia inde primis diebus sic debilitentur, vt postea exequi quæ præstare deberent, nequeant. Quæ eadem ratio est, cur etsi operarij mercede conducti teneantur laborare fideliter, nisi que faciant, debeant tanquam rei furti, mercedem acceptam restituere: peccatum tamen sit mortale pro ordinaria mercede, illos ad laborem sic supra modum urgere: quod pro sequentibus diebus debilitentur, ideo quæ lucrum eis cesset: quod ijdem urgentes refundere tenentur vt Abulen. addit.

Itaque in iudicio ferendo de artifice aliquo, an ratione laboris quem subit in exercitio sui operis, excusetur à ieiunio, habenda est ratio mediocritatis vt nec nimius, qui scilicet corpus alterat, requiratur ad eam excusationem: nec ita leuis, vt pauper vexans corpus sufficere putetur. Iuxta quod libenter assentior Azorio loco citato, arbitranti excusari à ieiunio sutores, figulos, Agentios in pecunijs cudendis, vel vasis fabricæ adis laborantes, ite textores, fullones, sementarios, pistores, coriarios, & alios in labore similes: non autem factores, pictores, tonsores, aduocatos, scholasticos, notarios, alios qui minus quam supra dicti laborant dum suas artes exercent. Quæ sententia est Abulen. in eadem qu. 143. Quæ probat, quia in talibus exercitationibus est parus corporum motus, & per consequens parua eorum resolutio, quæ ad restaurationem substantiæ exhaustæ non requirit frequenter cibi sumptionem. Neque in contrarium urgeri potest ante memoratum privilegium Eugenij 4. quia ipsum nihil habet per quod tales eo comprehendendi ceteri possint: vt patet consideranti illius tenorem cuius supra num. 213. meminimus.

Cæterum operarij qui ita robusti sunt, vt labor eos nihil impediatur à ieiunio, ab hoc non excusari existimat ibidem Abulen. iniquens eos, qui fortes labores habent, si possint laborando ieiunare; ad id teneri. Ad quod facit traditum à Medina in Cod. de ieiunio quest. 9. versu De infirmis, pro generali regula. Vt causam habentes ad non ieiunandum, non recedant à præcepto de abstinentia in die ieiunij, vltra quam recedere eis permittitur, quia in illo excessu, quo vltra exigentiam causæ recedunt, perinde est ac si recedendi causam non habeant. Hincque est, quod persona in qua apparet causa aliqua excusationis, non sit statim à ieiunio excusanda omnino, sed causæ exigentia sit attendenda. Vnde frequenter, vt addit Medina, peccant Medici, qui cum id solum concedere debeant infirmis in die ieiunij quod infirmitas postulauerit, indistincte eis indulgent non ieiunare.

*Excusatio non valentium cum ieiunio exequi opera ad qua tenentur.*

217. **S**Econdo loco ait Caiet. in eodem cap. 3. à ieiunio excusari ex necessitate eum, cui debium aliquod opus incumbit, quod exequi non potest seruans ieiunium. Sicut enim lex ieiunij non impedit opera necessaria, iuxta antedicta; ita nec opera debita: sicque, vt ille ait, excusatur is qui tenetur ad iter, quod non potest facere cum obseruatione ieiunij. Item vir qui si ieiunet non potest vxori debium suo tempore reddere: similiter vxor quæ ob ieiunium non potest se viro gratam seruare, eo quod macilenta & pallida per illud effecta, ab eodem viro despiciatur. In quibus Caietano consentiunt Nauarrus & Medina, ille in fine ante citati num. 16. & hic quest. 9. item citat. vs. su. ad hanc, qui rationem adfert, quod Ecclesia instituens ieiunium, non intendat obligare cum tali notabili damno, quale creditor inferretur, si ei notabilis momenti debitum non redderetur.

218. Tertio loco dici potest eos qui in rebus officio curtiorum funguntur, similiter excusari: quando executio officij ipsorum necessaria est, nec cum ieiunio est ipsis possibilis. De qua re Abulensis ad cap. 6. D. Matth. & Palud. in 4. distin. 15. ille quest. 141. & hic quest. 4. art. 2. concl. 6. volens excusari tales non solum cum non possunt, sed etiam cum non æque bene possunt, sine tali officio vivere. Volens similiter excusari eos qui se locarunt ad annum integrum: non item eos qui ad certum diem, nulla necessitate cogente; quia tunc cessat ratio debiti in qua istiusmodi excusatio fundetur. Idem ex Medina in cit. quest. 9. dicendum est de mercatoribus sæpe iteragentibus ad nundinas & loca varia, si laborem cum ieiunio impossibilem suscipiant ex necessitate: siue eo quod non possint aliter se & familiam suam sustentare. Idem etiam ex Navar. in eodem num. 16. de iis qui ex officio vel ex obedientia obligantur docere verbo aut scripto, vel audire confessiones: nec possunt ieiunando tali obligationi satisfacere. Item etiam in vniuersum de ijs quibus laborem, quem cum ieiunio sustinere nequeunt, necessarium est suscipere ad sui vel suorum sustentationem: aut ad fame, honoris, status, rerumque habitatum conservationem: aut ad bonum aliquod notabile acquirendum iustum, & honestum, ad quod alias non speratur opportunitas. Hoc à Medina notatum ibidem versu hoc tamen, probatur: quia Ecclesia instituens ieiunia, non intendit homines ad ea obligare tanto rigore, villorum causa debeant vel damna noxia sentire: vel lucra alioqui iusta & licita amittere: prout patet à simili, quia piscatio halecum, opus alioqui fertile, in diebus festis, etiam Dominicis, permittitur per cap. Licet, de ferijs: quoniam ea non est semper opportuna. Item non obstant prohibitione facta iudicibus tunc iudicandi, conceditur diebus festis iudicialis strepitus si necessitas urgeat, aut pietas; ex cap. finali eod. tit. Solet etiam ex hoc eod. cap. indulgeri messis & vindemia in iisdem diebus quando timetur ne fructus pereant.

Porro cum necessitas non viget, vt quis suscipiat laborem non patientem secum ieiunium, quia nihil indiget eo ad aliquid comparandum quod sibi aut suis necessarium sit: aut licet egeat, potest tamen eum differre donec ieiunij dies transierit. Cum inquam, tale quid contigerit, ieiunium soluens non excusatur à peccato ob susceptum laborem, quia non soluit virgente necessitate; sed pro voluntatis libito. Præcepta autem præferenda sunt ijs que sunt voluntatis. Ideo enim consilia intelliguntur sequenda saluis præceptis: nec temporalia lucra præferenda sunt spiritualibus. Hæcque est omnium communis sententia vt aliquot in eam citatis notat Azor. in memorato lib. spirituo cap. 17. quest. 9. Vbi etiam mouet questionem de eo quem contingit sua culpa ita labore fatigatum esse, vt ieiunium seruare non possit: in peccato illud soluendo. Ad quam eodem modo quo ad propositionem de eo qui indidit: e peregrinationem suscepit. Palud. in cit. articulo 2. concl. 5. respondet; nempe non peccare: quia necessitas illum excusat. licet in eam sua culpa deuenit; sicut & illum qui sua culpa in granem morbum inciit. Quod si, adit Azor. in fraudem legis se labore fatigauerit: peccatum qui dem commisit, in eo quod lassitudine voluerit causam dare violationi ieiunij: ea tamen data non peccauit soluendo postea ieiunium.

De causa pietatis.

## SECTIO III.

219. Ex pietate Caietanus in eodem capite tertio, à ieiunio excusari ait quoscumque, qui alicui maiori bono incumbunt, quod præstare nequeunt ieiunando. Idemque docens ad secundam secundæ D. Thomæ quest. 147. art. 3. sub finem: rationem addit, quia si ieiunium obseruaretur, intentionem addidit, quia si ieiunium obseruaretur, intentionem Ecclesie: quæ quoniam præcipit ieiunium vt promotiuum ad bonum, nullo modo intendit obligare ad illud, prout impedimentum est maioris boni: quandoquidem intentioni promotiui ad bonum, repugnat vt maius bonum impediatur. Vnde ipse infert excusari à ieiunio eos qui pietatis seu misericordie operibus, siue spiritualibus siue corporalibus vacant si cum ea vacatione ieiunare nequeunt: quia talia opera meliora sunt ieiunio; sicut & misericordia virtus est melior, quam abstinentia ex D. Thom. secundam secundam quest. 30. art. 4. Quam doctrinam Navar. approbans in Enchir. cap. 21.

num. 17. mouet ex eod. Caiet. & Syluestro, restringendam esse: vt non procedat in ijs, qui aliquod talium operum principaliter faciunt ob mercedem, vt solent mercenarij. Sic enim inquit Caiet. loco posteriore citato, non excusantur à ieiunio qui concionantur aut confessiones propria sponte audiunt, vt pecunias lucentur. Dictum est, principaliter: quia vt addit Navar. si facerent principaliter ob necessitatem sustentandi se de qua ante dictum est. nu. 21. 8. vel ob pietatem seu causa misericordie aut diuini cultus; ob mercedem autem minus principaliter tantum, locus esset excusationi.

Addit Caiet. in cit. cap. tertio, quod etiam Navar. approbat & consentaneum est iis quæ docet Abulensis in præced. u. q. 140. peregrinationem ad loca sancta non necessariam, sed tantum voluntariam, non excusare à ieiunio, exceptis duobus casibus. Alter est cum persona quæ peregrinatur talis auctoritatus est, vt ex illius peregrinatione multum augeatur communis deuotio. Alter vero cum seruo deuotionis sic accendit ad peregrinandum, vt animæ peregrinantis utilius sit peregrinari, sine ieiunio, quam ieiunare sine tali peregrinatione. Ratio vtriusque est: quod ieiunium non debeat esse impedimentum maioris boni, sicut esset in posteriore casu, vt de se manifestum est: & in priore ex eo probatur, quod bonum commune melius sit bono priuato. Dixit autem, non necessariam, quia secus esset, quando ex voto aut Superioris iussu, vel à Confessario imposita, deberet peregrinatio suscipi, nec posset commode differri: vt ex Gabriele habet etiam Navar. in sequenti num. 19. Huc referri possunt duo dubia quæ tractat Azor. in 1. parte Moral. instit lib. 7. cap. 8. quest. 1. & 7.

220. Vnum est an amici, vel socij gratia liceat frangere ieiunium. Alterum, an idem liceat ob metum grauem, qualis est imminens mortis, captiuitatis, carceris, tormentorum, iacturæ bonorum ex toto vel ex magna parte. Ad quorum prius respondendum est licere, cum proximi necessitas id exegerit, vt in casu quo Spiridon Episcopus carnem in Quadragesima comedit, de quo idem Azor. Ratio est, quia id censetur esse misericordie opus. Non licere autem cum necessitas proximi nihil tale exegerit: quia in eo nec infirmitatis nec pietatis aut necessitatis causa excusans aderit.

Posterius autem distinctione explicatur. Nam solui non potest ieiunium, si talis metus incutitur in odium Catholicæ Religionis: sicut fieri potest ab hæreticis nostri temporis & ab alijs infidelibus. Tunc enim malum quod uis potius ferendum esse, quam frangendum ieiunium: patet ex Martyrum exemplo, qui durissima pati maluerunt, quam acquiescere compellentibus in odium Christianæ Religionis, comedere idolothya.

Sin autem incutiat alia de causa, solui potest ieiunium. Sic vxor cuius ieiunium viro Catholico ingratum est, ideoque illam vexat clamoribus, iurgijs, dissidijs, ac etiam verberibus: ad vitandam talium malorum grauem molestiam, potest soluere ieiunium: vt præter eos quorum Azor. meminit, sentit Abulensis & Caiet. ille in seq. quest. 149. & hic loco citato ex secunda secunda. Ratio vero hæc reddi potest: quod pax summo prece grata sit Deo, iuxta illud Psal. 75. Et factus est in pace locus eius: contrariaque discordia inter coniuges, adeo ingens malum fit, vt negari non debeat ipsum de ijs esse, ob quæ ieiunij omisso permitti censeri potest ex intentione Ecclesie, volentis iugum imponere tantum leue, ad Christi imitationem.

Quod autem ille putat in eo casu opus esse dispensatione: hic vero opus esse commutatione in aliud opus, auctoritate Episcopi Navar. ait in cit. cap. 21. num. 19. Id magis esse consilij, quam præcepti. Et ratio est, quod ab omnibus receptum sit teste Syluestro in verbo ieiunium numer. vigesimo quando ex causæ soluendi ieiunium euidencia, quam vel ipsi habemus, vel vir bonus ac eruditus, siue medicus sit siue Confessarius siue alius, se dicit habere; certum est nobis, quod ieiunare nequeamus: tunc nos posse propria auctoritate ieiunium dimittere: vitato tamen scandalo.

De causa existimata.

## SECTIO IV.

221. Hactenus de triplici causa vera excusante à ieiunio: restat vt dicamus de causa existimata & de authorizata. Illa igitur ex Caiet. in memorato cap. 3. est rationabilis causa quæ ad soluendum ieiunium sufficiens existimatur ab eo qui iei-

iuinare debet, vel a suadentibus, eruditissimè & bonis viris, quales debet in dubio consulere, vt non ieiunet: etiam si in rei veritate, ea non sit causa sufficiens. De illa documentum hoc, idem Caiet tradit. Quod si absque fraude aliqua credat quis, se à ieiunio excusari ob laborem vel alium occurrentem: ideoque frangat illud, non censetur peccare violatione precepti de ieiunio; sicut censetur fraudulenter agens. Huius ratio est, quod talis, nec per se agat contra preceptum de ieiunio: utpote qui nullam illius violandi habet voluntatem: ita vt ipsum nequaquam frangeret, nisi crederet se in occurrente casu excusari à peccato violationis eiusdem. Nec item contra agat per accidens; quia supponimus interuenisse diligentiam, tum in examinanda causa, an ea esset rationabilis; tum in euentibus considerandis ac prouidendis, ad scandalum aut proximi damnum vitandum. Quæ doctrina accommodata est tranquillandis conscientis personarum timoratarum, quæ alioqui vexarentur scriptulis, subinde verentes ne se comminarent peccato transgressionis ieiunij; vel collationem largiorem faciendo, vel aliter ieiunium soluendo: siquidem tutam conscientiam formare non possunt ex eo, quod causam habuerint, quam illi iustam ac rationabilem esse putant; vt corporis debilitatem, vel nocturni somni defectum vel alium huiusmodi. Quod cum ita sit, monendi quidem sunt vt sollicitè causam eiusmodi expendant: nec patiantur sibi à carne & demone imponi: sed non sunt facile de peccato violationis ieiunij damnandi: ne seruantes ieiunium prout possunt, atque adeo sufficienter ad vitandum peccatum saltem mortale: contingat eis illud omnino omittere tam in damnantis quam ipsorum perditionem animæ iuxta illud. Si cæcus cæco ducatur præter ambo in foueam cadent. Prout scilicet contingeret si ter ieiunanti in hebdomada tempore Quadragesimæ, eo quod putet se pluries ieiunare non posse; aliquo dicente ei, quod non excusetur à peccato, nisi ieiunet quotidie, ipseque ieiunium omittat omnino. Cauendum est tamen incurrere in aliquid extremum, vt sine rationabili causa excusetur aliquis: quia in eo peccaretur, prout peccatur à Medico declaranti sine rationabili causa, quod possit quis ieiunium frangere sine cœnando, siue veritos cibos edendo; quod Syluester notat in verbo Ieiunium questione 7. in fine.

De causa authorizata.

SECTIO V.

223. **Q**uod attinet ad causam authorizatam, ea est, quæ quævis rationabilis videatur, dubitatur tamen an sit sufficientis ad excusandam à ieiunio: ideoque ad Superiorem recurritur, vt ipsius autoritate suppletur quod deest. De ea documentum hoc Caiet tradit in eod. cap. 3. vt qui aliquam à ieiunio excusantem causam habet rationabilem quidem, sed suo iudicio, aut alterius cuius consilio regitur, non sufficientem, sed dubiam; exponat negotium suum fideliter Superiori, sequaturque arbitrium ipsius, autoritate sua id quod deest suppletis: siue dispensando, cum ei videtur sufficientem adesse causam: siue commutando ieiunium in elemosynam, vel orationem, aliudve opus pium, cum de causa sufficientia dubitat, vt sic suppleat quod iudicat deesse ad eandem sufficientiam. In talibus autem casibus nomine Superioris vt Caiet addit intelligitur Episcopus: aut si is aditi commodè non potest proprius Curatus: & apud Religiosos, ipsorum Prælati siue mediatas vt Generalis aut Prælati; siue immediatas vt Prior, Guardianus, Rector, & eiusmodi alij: quando quidem nulla ratio persuadet oportere passim pro eiusmodi minimis, Papam adire, vel etiam Episcopum, quando difficile quoque fuerit ipsum adire.

224. Addit idem Caietanus sub finem eiusdem cap. posse autoritate Episcopi ieiunium transferri ex vno die in alium: vt ieiunium vigiliæ Sancti Ioannis occurrentis in festo corporis Christi, transferri in diem præcedentem: sicut occurrentis in die Dominico extra Quadragesimam ordinariè transferretur in præcedentem diem Sabbathi ex cap. 1. De obseruatione ieiuniorum. Eadem docet Syluester in verbo Ieiunium. quest. 7. Vbi & bene addit, quod etiam Abulensis quest. 147. habet quando nulla subest causa, nullius quam Romani Pontificis autoritate, ieiunium in vniuersa Ecclesia indictum, relaxari posse. Ratio est, quia ad legis relaxationem requiritur potestas supra eam: & fideles omnes excepto Papâ subiciantur legi ieiunij tanquam inferiores: qui legem Superioris relaxare

non possunt, vt habetur in Clement. Ne Romani, de electione; secus autem esset de ieiunio quod in diocesi iniungeretur Episcopali autoritate, quia ad illud relaxandum Episcopus sufficientem habet autoritatem.

Cum autem subest causa, generale etiam ieiunium vt iam diximus, potest ab eo in sua diocesi relaxari: & eo absente à Parocho in sua Parochia, tanquam à Iudice ordinario pro penitentiali foro: item quæ à Prælati in Religiosa familia cui præest. Ac potest non quidem dispensando absoluit, liberando simpliciter à ieiunij lege; siue ex toto, siue in his vel illis diebus (quod refertur per ante propositam rationem: ) sed ex Nauar. in Enchir. cap. 21. num. 21. singulariter alicui iusta de causa indulgendo, ne hoc vel illo die ieiunet, aut etiam, quando necessitas occurrens exegerit, hac aut illa hebdomada Quadragesimæ. Immo pro magnitudine necessitatis, totâ vna Quadragesima non ieiunet. Nam non esset alioqui satis prospectum fidelibus, si ad Romanum Pontificem oporteret omnino recurrere in necessitatibus quotidie occurrentibus, cum ob loci distantiam, aut alia impedimenta, frequenter contingat vt ille consuli non possit.

Si opponas Episcopum nullam potestatem habere in ieiunij lege, & multo minus cæteros. Respondetur ex eodem Nauar. quod conuetudo recepta, sufficientem illis ad id potestatem dederit, vt dare potuissent deducit ex cap. Cum contingat de foro compe. r. & ex cap. Dux simul. De officio ordin. Vt autem in tali dispensatione error vitetur, conueniens est causam defectum suppleri commutatione ieiunij in elemosynam vel orationes vel aliud pium opus, prout dispensans iudicauerit magis in Domino expedire.

Documenta de re proposita.

226. **S**uper sunt de hac re notanda aliquot documenta pro communi praxi. Primum est, quando Papa sine iusta causa in ieiunio dispensat, validam esse dispensationem: ipsum tamen in eo peccare. Cum vero cæteri dispensant sine causa, non tantum ipsos peccare, sed etiam dispensationem nihil valere, prout communi Canonistarum sententiam esse notat Azor. in prima part. Moral. instit. lib. 7. cap. 13. quest. 6. Quoad peccatum autem probatur: quia contra rationem est, ac etiam scandalosum, & per consequens peccatum, præcepto tam sancto velle vulnus infligere sine causa. Quoad inualiditatem vero, quia gesta quidem ab habente sufficientem potestatem valida esse possunt, non tamen gesta à non habente potestatem, vt de se patet. Sed aduerte (quod etiam notat Azor.) excusatione dari à peccato & validam esse dispensationem, si Prælati bona fide putet iustam adesse causam relaxandi ieiunium in casu ei propositi; illud alioqui nullo modo relaxaturus.

Secundum est, in ieiunio quod susceptum est voto, eum posse dispensare qui in cæteris votis idem potest: eum item posse, tum illud ipsum, tum etiam in penitentiam à Confessario impositum, commutare; qui potest cætera opera siue suscepta voto, siue in penitentiam imposita commutare; nam ipsum eiusdem est cum illis ordinis.

Tertium est, ex eadem causa iusta, qua prædicti possunt subditis suis relaxare ieiunium posse & sibi ipsis. Istud ex Syluestro, Soro, & Caiet. Azor. habet loc. cit. & probat quia licet nemo propriè iurisdictione utatur in seipsum, permittitur tamen eodem iure vti, quo cæteri: cum non debeat deterioris conditionis esse, quam illi.

227. Quartum est, quod consequenter Azor. ex Nauar. & Caiet. habet: Prælatum non debere in hac parte scrupulosum esse, nec rem in subditi conscientiam reuocare: sed ieiunium relaxare penitentis, quantumvis causa cui relaxari possit, dubia sit. Ratio est, quia nulli periculo peccati, vel erroris, aut fraudis se exponit: quia indubio melior est conditio ipsius, quoad rem arbitrio suo commissam: sique in dubio cœnandus est liberum suæ potestatis vsum potius habere, quam cogi ab ea abstinere. Subditi vero alia est conditio: cum in dubio, res non sit arbitrio suo relicta, sed ipse ad Superiorem recurrere compellatur, tanquam is qui in propria causa nequit iudex esse; sibi que relicta exponatur periculo peccati & erroris: quo periculo liberatur, conformando se iudicio sui Superioris, in re de cuius malicia non habet euidenciam: immo & medici aut Confessarij, alteriusque boni & periti viri iudicio, afferentis quod legitimam à ieiunio habeat excusationem: quia quantumvis res

for. d.

forte aliter haberet, excusaretur tamen à peccato per ignorantiam probabilem, cum ad illud vitandum, in tali casu id fecerit, quod faciendum esse habet communis Doctorum sententia.

228. Quintum est: dubium esse, An quando causa fuerit incerta & dubia, Parochi auctoritas sufficiat ad relaxandum ieiunium. Pro cuius utraque parte auctore idem Azor. in eod. cap. 18. quæst. 3. proponens: sententias ipsorum putat conciliari posse distinctione: dicendo nimirum quod ea quæ negat sufficere, locum habeat, cum est facilis: quæ vero affirmat, cum est difficilis ad Episcopum aditus. Ita ut absente Episcopo cum veget necessitas, Parochus tãquam supplens illius vicem, possit quãdo causa fuerit dubia, ieiunium relaxare, eo modo quo ante dictum est, non item presente Episcopo, qui facile a liri potest. Neque consuetudinem plus auctoritatis in hac re tribui sse Parocho, etiamsi aliud Azorio videatur argumento esse potest, quod sit vñ receptum ut vñ bonæ conscientiæ, nisi necessitas vgens impediatur, recurrant ad episcopum pro habenda facultate soluendi ieiunium, siue in comedendo pluries, siue in vrendo cibis veritis. Nec certe apparet quare ratione consuetudo, quæ plus illi tribueret, possit rationabilis censeri. Vnde reuocanda videtur sententia, Caeterani in cir. cap. 3. facultatem relaxandi ieiunium Parocho de consuetudine concessam, restringentis ad casum in quo Episcopus nequit commode adiri. *Qua etiam restrictio Nauar virtut in Encir. cap. 21. nu. 21.* Itaque si aliquis dubitans num sufficientem habeat causam recurrat pro relaxatione ieiunij ad Parochum, hic ralem causam examinare debet: quam si certo cõperiat, nec dubitet sufficientem esse, declarabit illum posse tali de causa ieiunium soluere. Is enim, cui suo, vel alterius boni & periti viri iudicio evidens est, esse iustam causam habere soluendi ieiunij, nulla opus habet relaxatione. Si vero examinata inueniat incertam ac dubiam, vterque medici Deũ rimentis, aut alterius boni peritice viri consilio, qui certo iudicet causam sufficientem: contentus erit sola, sicut prius, declaratione sufficientiæ. Sin autem neque hac ratione possit aliquid certi de causa sufficientiã cognoscere, põnitente in pro relaxatione remittet ad Episcopum si commode adiri possit; aut etiam ad Papam, si talis relaxatio peteretur quæ videretur absolute à lege ieiunij Ecclesiastici; el si non adesset commoditas Superionis facile adeundi, relaxare eo modo quo ante dictum est, cum communicatione in elemosynam, vel in orationes vel alia pia opera, prout res postulare videbitur.

229. Postremum est Confessarium ut spiritualement medicum posse quidem Põnitenti ipsum interroganti fidem facere, quod iustam causam habeat soluendi ieiunium, si rem ita habere certo agnoscat, non autem ieiunium in dubia causa relaxare: sicut nec potest Medicus, autem alius vir peritus & bonus ab aliquo consultus: quod ex Angelo Rosel. & Sylu. notat Azorius lib. 7. cap. 18. quæst. 4.

## CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Deiis que vrgent nos ad Ecclesiastici ieiunij obseruationem.

## SVM MARI VM.

230 Vrgent nos ad ieiunij obseruationem, tum illius preceptum tum Christi & Sanctorum exemplum: de quo varij sacra scriptura loci notantur.

231 Ieiunij honestas & iucunditas.

232 Eiusdem virtutis triplex, quarum prima est, vitia comprimere.

233 Secunda, mentem eleuare.

234 Tertia, virtutem largiri & premia.

235 Coniungenda cum ieiunio, ut ipsum sit meritorium.

236 Quo debeat ieiunans seruare, tanquam sibi, aut tanquam proximo, aut tanquam Deo debita.

230. **N**E in examinandis causis à ieiunio Ecclesiastico excusantibus caro abhorrens ab illo, perturbet iudicium rationis, habere oportet ob oculos ea, quæ ad eiusdem ieiunij Ecclesiastici obseruationem nos vrgent; qualia sunt. Primo, præceptum grauissimum, de quo dictum est hætenus. Secundo, exemplum in primis Christi Domini, qui ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, sæpeque e-

furiit. Deinde Sanctorum, quibus sine dubitatione idem quod Apostolo ex prioribus ad Corinth. cap. 9. curæ fuit, vt castigarent corpus suum & in seruitutem redigerent ne reprobi efficerentur: prout contigit ei, qui epulabatur quotidie splendide Luc. 16.

In veteri Testamento Sanctorum ieiunantium exempla proponuntur. Cap. 24. Exod. vers. 18. & cap. 34. vers. 28. cap. 9. Deut. vers. 9. & 18. de Moyse: c. 20. Iudicum, vers. 26. de filiis Israël pugnantibus contra filios Benjamin: cap. 7. lib. 1. Regum vers. 6. de iisdem congregatis in Masphat tub Samuele propheta: & ca. 31. in fine de filiis Iab es Galaad, qui sepelierunt Saulem: cap. 3. lib. 2. Regum vers. 35. de Dauide ob occisum Abner iurante se nihil gustaturum ante Solis occasum: & cap. 12. vers. 16. de qui monitus à Nathan, ieiunauit pro patulo ex Be: habee suscepto: cap. 20. lib. 2. Paralip. vers. 3. de Iosaphat prædicante ieiunium vniuerso Iuda cap. 8. lib. 1. Esdræ vers. 21. de Esdra prædicante quoque ieiunium & cap. 1. lib. 2. vers. 4. de Nehemia qui ieiunasse dicitur: cap. 3. Tobie vers. 10. De Sara quæ dicitur tribus diebus, & tribus noctibus non manducasse: cap. 4. libri Esther vers. 3. De Iudæis ieiunantibus: & cap. 4. Iudith. vers. 7. de iisdem qui dicuntur humiliasse in ieiunio animas suas: quod ante factum erat à Dauide dicente in Psal. 34. Humiliabam in ieiunio animam meam: & in sequen. cap. 8. vers. 6. De ipsa Iudith dicitur, quod ieiunabat omnibus diebus vite sue præter sabbatha: & c. 36. Ieremie vers. 9. prædicatur ieiunium in conspectu Domini omni populo in Ierusalem: Daniel cap. 10. vers. 3. Daniel ipse commemorat suum ieiunium, & Ionæ 3. ad prædicationem Ionæ Niniuitæ ieiunant. In nouo Testamento autem ieiunantium exempla habentur Matth. 9. vers. 14. de discipulis Ioannis Baptiste: cap. 2. D. Lucae vers. 37. de Anna propheta: cap. 13. Actuum vers. 2 & 3. de Propheis & Doctoribus qui erant Antiochiæ: & cap. 14. vers. 22. de D. Paulo & Barnaba. Habentur & prope innumera ex historijs Ecclesiasticis & Patrum vitis. Nam exemplum Christi imitariæ Diui Ioannis & SS. Apostolorum qui exhibuerunt seipos: (iuxta D. Paulum in posterioribus ad Corinth. cap. 6.) sicut Dei ministros in multa patientia, in ieiunijs, in vigilijs, &c.] plurimum in hac pietatis Christianæ palæstra se exercuerunt & excelluerunt.

De ieiunij honestate &amp; iucunditate.

## S E C T I O I.

**T**ertio ad ieiunandum nos vrgere possunt, illius tum honestas, tum iucunditas, tum maxime ingens illius utilitas. Honestas illius tanta est, quanta gulæ ei oppositæ cupiditas, non modo in Christiana, sed etiam in prophana philosophia prudentum consensu damnata tanquam homine indigna. Illius vero iucunditatem Sapiens ostendit Ecclesiastici 31. cum ait: Somnus fanitatis in homine parco, dormiet vsque mane, & anima ipsius cum ipso delectabitur. Ostendit quoque experientia: quæ constat magnam ex fanitate aut fanitatis diurnitate capi oblectationem; sicut ex ægritudine, & illius diurnitate, magnam molestiam. A: ex ieiunio fanitatem, & ex crapula ægritudinem prouenire dubium non est: quia ieiunium facit vt stomachus supra cibum præualere possit: ad bonam illius digestionem, & proportionalem in singula membra distributionem; vnde fanitas causatur, & vita prolongatur: contrarium vero facit crapula. In quam sententiam Diuus Chrysost. in homil. De Iona Propheta. Si diligenter inquit seruari volueris, inuenies ieiunio corpora roborari validius: & si meum respuis sermonem, medicorum te doceat disciplina, qui parcitate, salutis nominant matrem. Nam pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortès, & cætera quibus febres, arque languores comparatur, ex luxurijs atque voluptatibus auunt generari: & tanquã de fonte, noxios riuos ad corporum lesionem & animarum perturbationem commearere testantur. At vero diabolus, carnis nostre causam, quasi iustum patrociniũ attripens, inter tentatione suggerere solet, vt inquit D. August. in tractu de vilitate ieiunij. Quia facis quia ieiunas: defraudas animam tuam, non ei das quod delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor & cruciator exilis. Deo ergo placet quod te crucias; ergo crudelis est qui delectatur pœnis tuis. Responde, inquit D. Aug. huic tẽrationi. Exerccio me plane, vt ille patcat; do de



me pœnas, vt ille subueniat, vt placeam oculis eius: Nam & victima ex cruciatur, vt in aram imponatur: minus premet mentem meam caro mea. Et tali diffusori, malo seruo ventris: responde per hanc similitudinem, & dic. Si iumento fortè infideres, si equo vtereris, qui gestiendo possit te præcipitare, nonne vt securus iter ageres cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses. Caro mea iumentum meum est: iter ago in Ierusalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere. Vita mea Christus est; ita exaltantem carnem non cohibebo? Si quis hoc sapit, etiam ipse experimento probat quam vtiliter ieiunetur.

De ieiunij vtilitate.

SECTIO II.

232. **D**Enique vtilitatem ieiunij maximam esse non modo respectu corporis iuxta antedicta; sed multo magis respectu animæ, patet ex fructibus, quos ipsum pro spiritali vita fouenda proferre tradit ex doctrina antiquorum Abulenti ad cap. 6. D. Matthæi quæst. 174. Bellarm. tom. 3. controuers. lib. 2. de bonis operibus cap. 11. Gregor. à Valen. 2. 2. disput. 9. quæst. 2. puncto 2. & Azor. in 1. par. Moral. instit. lib. 7. cap. 22. quæst. 3. Ne autem prolixiores situs tres tantum attingemus indicatos per illud quod canit Ecclesia. Aeternæ Deus qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. ] qui quidem ad vitam spiritalem conducunt secundum triplicem quæ in ea distingui solet vitam: scilicet purgatiuam, illuminatiuam, & perfectiuam. Primus igitur qui ad animæ expurgationem pertinet, est vitia comprimere: quod fit tripliciter. 1. per peccatorum expiationem; ieiunia enim suscepta ex charitate Christiana, promerentur peccatorum veniam, hoc est pœnas culpis ante dimissis debitas, remittunt ac delent. Deinde quantumuis fiant extra charitatem, disponunt ad obrinendam à Deo cordis contritionem, aut perfectam aut saltem sufficientem ad sacramenti infceptionem, per quam deleantur peccata. Ad cuius rei probationem facit, quod habetur de mitigatione ire diuinæ per ieiunium Ninititarum *ione tertio*: & per ieiunium Regis Achab *lib. 3. Regum cap. 21. sub finem*. Facit etiam, & *darius*, exhortatio Ioëlis *in cap. 2. sive Prophetia*: & D. Ioan. Bap. apud D. Marth. cap. 3. Cum enim dixisset Phariseis & Saduceis ad se venientibus, Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira: addidit, Facite ergo fructus dignos penitentiae, significans tales fructus, inter quos constat esse ieiunium, valere ad iram Dei effugiendam: quod non contingit eis sine contritione dicente Domino Luc. 13. Nisi penitentiam habueritis omnes similiter peribitis. Quibus sacre Scripturæ authoritatibus accedunt alię Patrum, quas qui volet poterit videre apud Greg. à Valenna loco citat. 4. controuersio inter nos & sectarios.

Secundo, vitia ieiunio comprimuntur per carnis macerationem: de qua D. Paulus in priore ad Corinth. cap. 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo: intelligit enim, vt interpretantur D. Chrysost. & Theod. in conuent. castigationem per ieiunia: de qua etiam ex D. Ambrosio canit Ecclesia; Carnis terat superbiam potus cibi que parcitas. ] Authoritates Patrum de eadem refert Azor. loco cit. inter quas præclara est illa D. Cypriani in serm. De ieiunio. In ieiuniis, inquit, victorum sentina siccat, petulantia marces, concupiscentie languent, fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur Aethnæ ardentis incendium, & flammæ omni fornax Vulcani extincta intus, mōtes conterminos non adurit, Est & alia D. Basil. humil. 1. de laudibus ieiunij. Sicut vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acerbis & amaris excutuntur: ita peccatum, in intimis recessibus habitans, extinguit enecatque simul atque in animam superuenient, ieiunium.

Tertio, vitia comprimuntur ieiunio, per superationem tentationum diaboli: Hoc indicatur per illud 1. Petri 5. Fratres sobrii estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. ] Et certe si ieiunium valet ad liberandum energumenum à diaboli possessione, iuxta illud Matth. 7. Hoc genus demoniorum non eicitur nisi per orationem & ieiunium: quidni valebit etiam ad repellendas eiusdem tentationes: impetrato diuino auxilio in spiritali mortis periculo, sicut impetratur in periculo mortis corporalis, vt patet ex his quæ contigerunt Is-

raëlitis tempore regis Iosaphat 2. Paralip. cap. 20. ac temporibus Iudith. & Esther, ex vtriusque historiæ illius quidem in cap. 4. & 6. huius verò in cap. 4.

Hinc vtraiq; Maximus Taurinensis homil. 25. murus quidam est Christianis ieiunium, inexpugnabilis diabolo, infrangibilis inimico: quis enim vnquam Christianorum ieiunauit, & captus est?

233. Secundo ieiunij fructus spectans ad illuminationem animæ in vita spiritali, est mentem eleuare: sicut crapula & ebrietatis (iuxta illud quod Christus Lucæ 21. admonet, ne corda nostra grauentur crapula & ebrietate) est, ita mentem nostram ventri obedientem reddere, vt ad terrena deprimatur nec ad cælestium cogitationem, nisi agrè admodum, se efferre possit. Ad hanc eleuationem pertinet primò, quod ieiunium valeat ad voluntatem, directione mentis inclinandam ad interiorum penitiam: vnde illud, huic in sacris literis coniungitur: vt cum Ioëlis secundo dicitur; Conuertimini ad me in toto corde vestro in Ieiunio. ] Item cum 1. Reg. cap. 7. De filiis Israël dicitur; Ieiunauerunt in illa die, & dixerunt, Peccauimus Domino. ] Pertinet secundò, quod valeat ad exacuendam, attentiorumque reddendam mentem ad orationem. Vnde in sacris quoque literis coniungi inueniuntur oratio & ieiunium, vt Tob. 12. cum dicitur, Bona est oratio cum ieiunio & elemosyna. ] & in prior ad Corinth. ca. 7. Vt vacetis ieiunio & orationi ] & in cap. 13. A&orum. Ieiunantes & orantes ] & in seq. cap. 14. Cum orasset cum ieiunationibus. ] Pertinet tertio, quod per ieiunium mens expeditior & paratior sit ad sapientiam resque diuinas percipiendas. Ieiunium enim vt ait D. Chrysost. homil. 1. in Genesim, leues penas animæ producit; vt in sublimem feratur, & summa contemplari queat, Sic Moyses quadraginta dierum ieiunio animam preparauit, antequam ad Dei colloquiū auderet accedere, Exod. 24. Sic Elias 40. dies ieiunauit vt Deum in monte Oreb sub specie auræ tenuis videre possit. Sic Daniel ieiunium trium hebdomadarum præparatur ad reuelationes Domini recipiendas, ex 1. 10. Prophetia spūs. Accedit illud Ecclesiasticus cap. 2. Cogitauit in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animam transferrem ad sapientiam. Adde ex D. Bernardo serm. in vigilia sancti Andrea, Ecclesiam instituisse ieiunia vigiliarum, vt animi paratores essent ad vacandum rebus diuinis.

234. Tertius ieiunij fructus, qui ad perfectionem vitæ Christianæ pertinere censetur, ponitur virtutem largiri & præmia. Quo modo virtutem largiatur explicat D. Basil. in constitutionibus monasticis cap. 5. Ventris, inquit, moderatio, animi perturbationum compressio est: perturbationum autem compressio, animi pax est, atque tranquillitas: animi verò tranquillitas nihil aliud est, quam virtutum fecundissimus fons.

Præmium autem largiri, seu æternæ salutis meritum esse ieiunium aduersus sectarios, tum authoritate Scripturæ, tum Patrum testimonio probat loco citato Gregorius à Valen. in 3. conuouerso. nobis sufficit illud Domini Matth. Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciam tuam lauem, ne videaris hominibus ieiunans: sed Patri tuo qui est in abscondito. Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. ] Quod quidem intelligendum esse de redditione æternæ mercedis, patet ex verbis proximè ibi positis: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autè vobis thesauros in celo. ] Vbi obseruandum est cum Bellarm. in supra cit. cit. col. 2. Catholicos non dicere quod fingunt sectarij, ieiunium vniversè sumptum sine relatione ad vllum bonum finem, esse ex opere operato meritum. Nam fateatur, sicut edere & bibere, ira & abstinere à cibo & potu rem esse de se indifferentem, ne laudabilem aut vituperabilem esse, nisi ob relationem illius ad bonum vel malum finem: vt patet ex eo qui abstinere, quia non habet quod comedat & bibat; aut qui vitio stomachi, vel palati abhorret à cibo & potu. Deinde opus operatum vocant Catholici, illud cuius fructus & meritum pendet ex sola Dei institutione; non autè ex virtute & deuotione operantis: quomodo dicimus baptismum, suscipiente instituitur ex sola Christi institutione: ideoque effectum suum sortiri, quantumcumque is à quo ministratur iniunctus sit Dei & sine deuotione. Afferit vero Catholici ieiunium meritum esse non vi alienius talis institutionis, sed iuxta ante memoratum monitū à Christo da-

tum *Matth. 6.* ex bona dispositione & deuotione ieiunantis, cui à Deo re promissa est merces.

*Adiungenda ieiunio ad percipiendas ipsius utilitates.*

SECTIO III.

**C**Aeterum ut tot, tamque vberes fructus ex nostro ieiunio percipere possimus, oportet primò ei coniungi poenitentiam de peccatis: alioqui enim non esset fructus dignus poenitentiae; seu qui ex vera poenitentia ortus, testetur nos ex animo resipuisse, qualem D. Ioannes Bapt. *Matth. 3.* requirit in peccatore, ad aeternum incendium placato Deo vitandum. Secundò, praeter veram fidem & firmam spem requiritur charitas; extra quam opera nostra meritum non habent *ex priori ad Corinth. cap. 13.* Tertio, debita intentio, quae ieiunij finis primarius sit non nostra, sed Dei gloria, iuxta memoratum Domini nostri monitum. Secundarius verò sit aliquid rationi cosentaneum, per quod ieiunium ipsam pertineat ad aliquam virtutem: pro vt susceptum ad Dei cultum (*vt illud Anna Prophetissa Lucae 2. vers. 37.*) pertinet ad religionem: & prout susceptum ad profitendum aduersus sectarios se Catholicum esse, pertinet ad fidem: & prout susceptum studio obediendi Ecclesiae, pertinet ad obedientiam; & prout susceptum in poenam peccati, pertinet ad poenitentiam: & demum prout susceptum animo imitandi Christum, pertinet ad charitatem.

**Q**uartò adiungenda sunt ieiunio debita circumstantiae: ita vt ieiunans seruet ea quae tum sibi met, tum proximo, tum etiam Deo debentur. Sibi autem debet ieiunans ex parte quidem corporis, vt seruet in ieiunando modum eum quo corpus suum in tali statu conseruet vt possit ea facere quae ipsi ex officio incumbunt, ad vitia vitanda & ad proficiendum de virtute in virtutem: cum alioqui *ex cap. Non mediocriter de consecr. dist. 5.* De rapina holocaustum offerat qui ciborum nimia egestate, vel fomni penuria immoderatè corpus suum affligit. De moderatione autem in corporis castigazione & mortificatione seruanda, bona documèta particularia videri possunt apud Rosignolum in *lib. 2. de disciplina Christianae perfectionis cap. 12.* Ex parte verò animae, ieiunans sibi debet cauere, ne per gulae tentationem, meritum ieiunij aut perdat aut minuat. Quae tenatio potest contingere quinque modis, quorum habita est mentio in praeced. num. 161. De remedijs autem aduersus eandem dicitur in sequenti lib. 7. cap. 6. sect. 2. Proximo autem debet ieiunans subdidum in illius necessitate: sic vt exercendo erga se iudicium, exerceat erga alios misericordiam, iuxta illud *1. Cor. 58.* Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi &c. frange esurienti panem tuum & egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudam operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum &c. ] Hinc ieiunium ita moderandum est, vt nõ modò non impediat à praestandis iis ad quae tenemur ex iustitia, sed nec ab iis ad quae tenemur ex charitate: quando quidem irrationabiliter homo dignitatem amittit, qui ieiunium praefert charitati: *ex cap. Non mediocriter de consecr. dist. 5.*

Denique Deo debet ieiunans, vt non tantum à cibis, sed simul à vitis ieiunet. Nam vt dicitur in *cap. Nihil. eadem dist. 5.* Nihil prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate & obreccationibus lingua cohibeatur. *1. Ier. 58.* Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè, nolite ieiunare vsque ad hunc diem, vt audiatur in excelsis clamor vester: nunquid tale est ieiunium quod elegi, &c. ]

De coniungenda abstinentia ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus huius saeculi cum ieiunio corporali, vt ipsi sit aeternae salutis meritum vide praecelaram doctrinam D. Augusti. quae habetur in *cap. Ieiunium eadem, distinct. 5.* Eà votis omnibus nos amplecti faciat Christus Iesus: cuius gratia apparuit omnibus hominibus erudiens nos: vt abnegantes impietatem & saecularia desideria sobriè, iuste, & piè viuamus in hoc saeculo expectantes beatam spem & aduentus ipsius: qui dedit se meripsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & manderet sibi populum acceptabilem seclatorem bonorum operum.

QVARTA LIBRIPARS.

*De elemosyna cuius usus incumbit Poenitenti.*

**D**ICEMVS primò, de elemosynae nomine & definitione, deque illius distinctione in spiritualem & corporalem. Secundò de corporali inquiramus, an detur praecceptum ex quo nascatur necessitas obligationis illam faciendi, & quando talis necessitas contingat, seu pro quo tempore obligeat eiusmodi praecceptum. Tertio, quos idem obligeat: si qui debeant talem elemosynam facere ex obligatione. Quarto, ex quibus bonis ea fieri debeat. Quintò, quibus eadem fieri debeat, & quis sit debitus modus eam faciendi, Sextò, quanam sint ea, per quae promoueat, aut retardetur usus illius. Quibus septimò accedet explicatio obligationis ad elemosynam spiritualem.

CAPVT DECIMVMNONVM

*De nomine & definitione elemosyna, deque illius distinctione in spiritualem & corporalem.*

SVMMARIVM.

- 237 *Varia acceptio nominis elemosyna, & in qua hic sumatur.*
- 238 *Quid sit elemosyna secundum Theologos.*
- 239 *Sine charitate ea potest esse actus moraliter bonus, sed non meritorius.*
- 240 *Quod datur Clericis pro celebratione Missae, & diuinorum officiorum non est elemosyna.*
- 241 *Elemosyna quaedam corporalis, & quaedam spiritalis, ac quid & quomplex utraque sit.*
- 242 *Ratio qua vnaqueque earum septuplex esse ostenditur.*
- 243 *Opera misericordiae corporalia, septem ponuntur, non quod non sint plura, sed quod ad ea reuocentur cetera.*

**E**lemosynae nomen à Graecis mutuatum deriuatur à verbo *ἐλεεινόν*, sonante Latine misereor, seu misericordiam exerceo, et si hic non accipiatur pro quolibet actu misericordiae (cum erga nos quoque misericordiam exerceamus) iuxta illud *Ecclesiastici 30.* Misereor animae tuae placens Deo] sed tantum pro eo, quo à nobis subuenitur necessitati proximi. Cumque ex usu non modò communi, sed etiam sacrae Scripturae, elemosyna secundum istam acceptionem dicatur, cum de re per quam subuenimus necessitati proximi, vt cum dicitur *Luc. 12.* Vendite quae possidetis, & date elemosynam] & *Act. 3.* Rogabar autem vt elemosynam acciperet: ] tum etiam de actione, per quam eidem necessitati subuenimus; vt cum dicitur *Tob. 12.* Elemosyna à morte liberat. ] & *Ecclesiastici 17.* Elemosyna viri, quasi sacculus cum ipso. Cumque haec ita sint, isto tantum posteriori modo accipitur elemosyna in praesentiatum.

Definitio elemosyna.

**C**Vius haec definitio, *supra ex D. Thoma 2. 2. quest. 32. art. 1.* communiter approbatur: qua dicitur esse opus quo datur aliquid indigenti ex compassione, propter Deum. Sed aduerte eam esse elemosynam, non quidem acceptam secundum se absolutè, sed vt imperata à charitate meritum habet eterne salutis; pro qua Christianus sub Christo militat. Id enim quod ad illam secundum se absolutè spectat, tantum est actus esse virtutis misericordiae: quae virtus miseriam respicit, vt eam tollat; inclinaturque ad compatiendum indigenti, tantquam miseriam patienti: ita vt ea quae fit à peccatoribus dicatur simpliciter elemosyna vt patet *ex cap. 4. Danielis ver. 24. & ex D. Matthaei cap. 6. in principio, & ex D. Lucae cap. 11. ver. 41.*

Neque negandum est quin sic quoque ea sit actus virtutis, puta à misericordia, si de virtute moraliter loquamur: quantum non sit Theologicè, seu prout de virtute loqui solent Theologi: arbitantes in nomine Christiano (vt pote cui debet propositum esse rectè agere, non tantum secundum propriam rationem cuiusque virtutis, sed etiam conuenienter

237.  
238.  
239.  
240.  
241.  
242.  
243.  
237.  
238.  
39.  
ad

ad confectionem aeternae salutis (actum virtutis perfectae, tantum esse eum, qui valet ad consequendam aeternam beatitudinem. De quorum actuum numero eleemosyna non est, sine charitate, cuius imperio exerceat ut propter Deum. Manifesta sunt enim Apostoli verba in prioribus ad Corinthios. cap. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.]

Ceterum eleemosynam imperio charitatis exerceri, est ex actu charitatis, quo propter Deum amatur is, qui miseria subiicitur, nasci displicentiam de alterius indigentia, cum inclinatione voluntatis ad eam subleuandam. Quae quidem displicentia, actus est virtutis misericordiae; & ipsum subleuationis opus ex ea proniciens, dicitur eleemosyna, seu opus misericordiae; quia quamvis imperari à charitate, & esse illius effectum, commune sit eleemosynae cum operibus aliarum virtutum: mixta illud eisdem Apostoli in eodem loco, Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, &c.] tamen peculiare illi est, confectione quasi naturali provenire ex charitate, ut praeter experientiam confirmat illud 1. Ioan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitate habere, & claverit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo.]

240. Porro ex proposita definitione Medina in Cod. D. eleemosyna quaest. prima inferit, non esse proprie eleemosynam, id quod Clericis pro Missae celebratione, aut pro sepultura, aliisque officiis Ecclesiasticis peragendis datur: quia seculis à omni ipsorum indigentia, stipendium suum ob huiusmodi ministeria debetur eis: dicente Christo Luc. 10. Dignus est operarius cibo suo. Id quod D. Paulus in prioribus ad Corinthios. cap. 9. confirmat: tum ratione dicens; Quis militat unquam stipendiis suis; tum ex lege veteri dicens; Scriptum est in lege Moysi, Non alligabis os bovi trituranti: nunquid de bobus cura est Deo, an propter nos utique hoc dicit? tum denique ex Christi oratione dicens, Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.] Nec refert quod loquatur de praedicatione Evangelij; quia praedictorum Ecclesiae ministeriorum eadem est, quae illius ratio.

De distinctione eleemosynae in spiritualem & corporalem.

241. Iam D. Thomas in cit. quaest. 32. art. 2. & caeteri communiter, duo genera eleemosynarum seu operum misericordiae distinguunt; unum corporali, quae ad corporalem proximi miseriam seu indigentiam subleuandam spectant, significanturque verbis huius versus:

Visito, potro, cibo, redimo, tegeo, colligo, condo.

Nempe visitare infirmos, & in carcere constitutos, dare potum sitienti, dare cibum esurienti, redimere captivos, vestire nudos, colligere hospites; & sepelire mortuos. Alterum genus est spirituale, quibus spiritali necessitati proximi, seu indigentiae quoad animam subuenitur; quae significantur verbis alterius versus:

Consule, castiga, solare, remitte, ser, ora.

Quorum primum indicat duo opera misericordiae; quorum unum est docere proximum, alterum eidem recte consulere. Reliquis vero singulis singula indicantur: verbo quidem castiga, correptio fraterna; verbo vero solare, consolatio proximi in necessitate spiritali, hoc est, in tentatione, & afflictione animae constituti: verbo autem remitte, condonatio iniuriarum nobis illatarum à proximo: verbo potro, patientia in ferendis defectibus aliorum: verbo denique ora, oratio pro proximis in necessitate positis.

242. Ratio autem huius distinctionis à D. Thom. loco cit. redditur: sed facilius est quam Bellarminus in controversia de bonis operibus lib. 3. cap. 2. habet hoc modo: Omnis miseria humana aut ad corpus aut ad animam pertinet; illaque aut in hac vita, aut post mortem toleratur. Quae vero in hac vita contingit, aut est carentia rerum, quibus omnes egent; aut est aliqua particularis aerumna. Rursus carentia illa aut est interior: ut carentia cibi, & carentia potus, aut exterior, ut carentia vestium, & carentia domicilij. Cui quadruplici carentiae ac miseriae corporali, respondent quatuor genera eleemosynae: videlicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, & excipere hospitio peregrinum. Particularis aerumna vero, est vel interior, ut morbus; vel exterior ut capti-

uitas. Cui alia duo genera eleemosynae respondent, visitare aegrotum, & redimere captivum. Miseria denique post mortem est carentia sepulturae, cui respondet vltimum genus eleemosynae corporalis, quod est sepelire mortuos.

Misera autem quae pertinet ad animam, aut culpa est, aut poena: si culpa, non potest simpliciter tolli à nobis; potest tamen qui in eam incidit iuvari tribus modis. Primo oratione ad Deum: secundo remissione iniuriae: tertio correptione fraterna. Si poena est aut intellectum laedit, ut ignorantia quae esse potest tum theoretica, tum practica; aut laedit affectum, ut tristitia ac dolor; aut consuetudinem cum alijs ut morositas seu morum incommoditas ac difficultas. Et quidem ignorantiae theoreticae remedium adhiberi potest per doctrinam: practicae vero per consilium; tristitiae, per consolationem; & morositati per patientiam: sicque septem sint genera eleemosynae spiritalis: orate pro peccatoribus, condonare iniurias, corripere delinquentes, docere imperitos, consilium dare imprudentibus, consolari afflictos, & tolerare alienam infirmitatem.

Sexta prima eleemosynae corporalis genera, Dominus noster, Matth. 25. commemorat cum ea commendatione ut declaret se iuxta illorum executionem, vel omissionem, sententiam vel damnationis vel salutis pronunciatum in extremo iudicio: septimi generis, quod est sepelire mortuos, non meminit; sed illud satis indicavit cum Matth. 26. dixit: Bonum opus operata est in me. Mittens enim haec, vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.] Quibus verbis accedit commendatio illa Angeli Tobiae. 12. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & dereliquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.]

Adverte autem ex D. Thoma loco cit. ad 2. ea genera non esse ita accipienda quasi non sint alia misericordiae opera corporalia, quibus nomen eleemosynae conveniat: sed quod ad illa possint caetera facile renouari: alioquin enim dirigere caecum, sustentare claudum, protegere viduam & pupillum, dotem providere virgini pauperi, & huiusmodi alia, sunt vere eleemosynae corporales. De quibus 1ob. cap. 29. Auris audivi beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi: eo quod liberarem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adiutor: benedixit perituri super me veniebat & cor viduae consolatus sum.] Et infra: oculus fui caeco & pes claudum.]

CAPVT VIGESIMVM

De precepto ex quo nascitur necessitas seu obligatio faciendi corporalem eleemosynam.

SVMMARIVM.

- 244 Datur preceptum faciendi eleemosynam, tum naturale, tum diuinum, tum etiam Ecclesiasticum.
- 245 Ab obligatione illius excusatur qui non habet unde eam faciat.
- 246 Item qui eam habeat ignorat tamen proximi necessitatem: de qua inquirere quando tenetur.
- 247 Item cum sit alios ei necessitati subueniendos; aut ipse subuenire non potest, nisi contumendo se, aut suos in parem necessitatem.
- 248 Eadem obligatio exigit in dante superfluitatem bonorum, & in recipiente egestatem.
- 249 Superfluum quoddam naturae, & quoddam per sonam: quidque vtrumque sit.
- 250 Necessitas quaedam extrema, quaedam grauis, & quaedam communis; & quid quaeque earum sit.
- 251 Receptum est, obligationem ad eleemosynam faciendam contingere, cum quis habeat superfluum, & alius sit in extrema necessitate.
- 252 Quod procedit quando habeat superfluum naturae, etiamsi non habeat superfluum status.
- 253 Procedit etiam quantumcumque necessitas non sit extrema, dummodo sit grauis.
- 254 Tuncque omitendo eleemosynam peccari mortaliter habetur ex verbis Christi, & ex ratione.
- 255 Sed raro contingit talis peccati casus.
- 256 Qui habet quidem superfluum naturae, non tamen status, non tenetur sub mortali graui necessitate patienti, nisi sit extrema, subuenire cum graui suo detrimento.

257 Is qui habet superfluum tam natura quam status non tenetur sub mortali subuenire communem tantum necessitatem patienti.

258 Non est peccatum de se mortale superfluum habere; quantumuis in subuentionem pauperum non retineatur.

259 Quod licet de se indifferens sit, pluribus tamen modis peccatum esse potest; & quibus.

260 Eleemofyna liberaliter danda est constituto in extrema aut graui necessitate. quando non est spes quod acceptum refundere possit.

261 Sufficit dare commodato ei, qui hic indigens habet alibi bona.

262 Item ei qui indiget re, quae non est vsu consumptibilis.

263 Itemque ei qui etsi non habeat actum; habet tamen in spe, quod possit retribuere: nisi ei datum sit de superfluis status non reuertitur ad utilitates publicas.

264 Diues qui non subuenit indigenti, cessante indigentia ad nullam restitutionem tenetur ei faciendam.

265 Dicitur eorum quae ei doctrina obstrare videntur, quomodo sint accipienda.

266 Eadem doctrina extendenda est ad damna secuta ex omissione eiusmodi subuentionis, excertis aliquot casibus.

267 Diues potest aut horitate iudicis adigi ad talem subuentionem: quodcum non proficit, pressus extrema necessitate potest id quo indiget capere, siue per se siue per alium: non item pressus tantum graui.

268 Qui habet vnde sufficienter tribuat necessitatem patienti, non potest de aliorum bonis accipere quibus iuuaret ad eam subleuandam.

244. **M**edina in Cod. de eleemofyna quast. 3. probat datum naturale, tum diuinum, tum etiam Ecclesiasticum praecipuum faciendi eleemofynam corporalem. Naturale quidem: quia ad legem naturae pertinet ut fratres diligamus, idque vere. Vera autem dilectio non est, si in solo affectu consistat, nec ad effectum deducatur iuxta illud r. ioh. 3. Filiioli non diligamus verbo nec lingua, sed opere & veritate. Diuinum vero, per illud Deut. 15. Ego praecipio tibi ut avaritiam manum fratri tuo egego, & pauperi qui tecum versatur in terra & per illud Ecclesiastici quarto Eleemofynam pauperis ne defraudes. Quae verba continent praecipuum inducens debitum faciendi eleemofynam: de quo ibidem. Declina pauperis sine tristitia aures tuas, & redde debitum tuum, &c. Adde etiam, per parabolam de Samaritano Luc. 10. cui Dominus subiunxit, Vade, & tu fac similiter. Itemque per sententiam quam Dominus Matth. 25. ait se proferendam esse in extremo iudicio. Denique Ecclesiasticum per illud, quod D. Paulus in suis Epistolis, eleemofynas non modo iniunxit fidelibus, ipseque exegerit: sed etiam discipulis in priori ad Timothy cap. vi. mandavit ut praeparerent diuitibus facile tribuere, & communicare. Ad idem facit cap. Fratrem nostrum dicitur 86

Porro vna eademque est triplicis illius iuris in hacre obligatio, nobis triplici illo modo a Deo intimata. Quam quidem esse sub mortali ex sacra Scriptura tripliciter deducitur. Primo ex eo quod illius omissioni attribuit supplicium ignis aeterni. Matth. 25. Ite maledicti in ignem aeternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Erit enim, & non deditis mihi manducare. Secundo ex eo quod eidem tribuat Dei abalienationem ab homine. Proverb. 21. Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Tertio ex eo quod eidem attribuat defectum charitatis: cum i. ioh. 3. dicitur, qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas manet in eo. Nam non habere in se manentem Dei charitatem, est manere in peccato mortali iuxta illud quod in eodem cap. 3. dicitur, Qui non diligit manet in morte. Adde quod eleemofyna sit necessaria ad plene satisfaciendum praecipuo de dilectione proximi, quod nos obligat non tantum ad bene volendum proximo: sed etiam ad ei beneficiendum, ut iam attrigimus. Et confirmatur: quia si lex humanae amicitiae requirit, ut inter amicos sit mutua beneficiorum communicatio, multo magis id requirit lex diuinae charitatis.

Casus aliquot in quibus non est obligatio faciendi corporalem eleemofynam.

## SECTIO I.

**C**eterum cum istiusmodi praecipuum sit affirmatiuum, constat non pro omni, sed pro certo tempore obligare; ad quod tempus cognoscendum, notandi sunt aliquot casus in quibus talis obligatio non contingit.

Primus est, cum alicui non suppetit facultas faciendi eleemofynam; siue ob rerum penuriam, siue ob aliquas circumstantias, obstantes quo minus ipse tali, taliter indigenti, tali tempore, tali modo, &c. possit succurrere. Ratio est quia lex non est eorum quae censentur, aut absolute, aut moraliter impossibilia; iuxta illud Domini Matth. 11. Iugum meum suauis est & onus meum leue, & c. Circa D. Ioan. in cit. cap. 3. nominatim reprehenditur is qui haereticam substantiam mundi huius. Vbi aduertit quod si quis tantum habeat vnde vni subuenire possit, & duo pauperes occurrant necessitatem exterram patientes, ita alicui illorum indifferenter ipsum tenet subuenire, ut neutri subueniens, peccet duplici nomine; nempe & quia vni, & quia alteri non subuenit: sicque de pluribus, si plures occurrissent, ex Medina in sequenti quast. 4. §. Si queras.

Secundus casus est, cum etsi facultas praedicta suppetat, tamen ignorat quis proximi necessitatem. Ratio est, quia non potest providere necessitati quam non nouit. Vnde in eodem cap. 3. reprehenditur nominatim is, qui non tantum habuerit substantiam pauperum mundi, sed etiam viderit proximum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo.

Si queras, an praecipuum eleemofynae obliget ad faciendam aliquam inquisitionem egentium, qua omnia non sit excusabilis ignorantia. Nauar. negatiue respondet in Enchir. cap. 24. num. 9. (cuius fauor Medina in Cod. de eleemofyna quast. 3. in fine) nec male: quia cognitio necessitatis proximi non est iuris cuiusdam vniuersalis, ut eam quilibet inquirere teneatur; sed est facti cuiusdam particularis, pertinentis ad personam ipsius proximi: vnde inquisitio illius tantum incumbit ei ex officio, qui curam eiusdem proximi gerit: ut censetur gerere Praelatus, vel paterfamilias, vel alius cui commissa sit pauperum cura. Nam cum non sit aliqui ratio, cur quisquam priuatus debeat de vnus potius, quam de alterius proximi necessitatibus inquirere, debet inquirere de necessitatibus omnium: saltem eorum qui essent in eodem loco & qui in vicino: quod pene intolerabile esset: quandoquidem ea inquisitio sic hominem occupatum teneret, ut vix aliis negotijs occupari posset. A idem quod ad eum qui necessitatem patitur pertinere, suam necessitatem exponere. Verumiam enim si quis dedita opera curaret manere in ignorantia grauis indigentiae proximi, & propriae sufficientiae: declinando scilicet commoditatem id sciendi, non excusaretur: praesertim Sapiente praecipiente Ecclesiastici 4. Declina pauperi sine tristitia aures tuas, & redde debitum tuum, & responde illi pacifice in mansuetudine.]

Quod si queras. An is qui habet superfluum, oblato sibi notabiliter indigente, teneatur eidem praesertim eleemofynam elargiri. Respondetur negatiue: quia licet teneatur indigenti occurrenti impertiri eleemofynam, non tamen praesertim huic vel illi, sed cui voluerit: ut ex D. Thoma quodlibet. 8. art. 12. habet Nauar. in preced. numero quinto: maxime quando putat verosimiliter quod occurrerit alius cui eleemofynam dare melius erit: ex Sylu. in verbo Eleemofyna quast. 1. in fine.

Tertius casus est: cum etsi facultas suppetat, & proximi necessitatem cognoscat quis; simul tamen certo, aut saltem probabiliter sit fore, ut per alium tali necessitati subueniatur. Ratio est, quoniam ille cui alter subuenitur, non indiget tertij ope. Hinc D. Thomas ait 2.2. quast. 32. art. quinto ad tertium: tunc esse sub mortali necessarium facere eleemofynam, cum euidenter & vrgens apparet necessitas: nec in proprio est, quis ei subueniat. Vbi aduertit ad excusationem a tali peccato, non sufficere quod intelligas posse per alium, vel alios tali necessitati subueniri: nisi probabiliter quoque iudices subueniendum esse de facto. Nam cum illis alijs subuenire teneris: non quidem coniunctim, & dependenter ab illis: sed diuisim, & independenter: ita ut tenearis per te subueni-

re quando nondum tibi probabiliter constat alium aliquem determinatè tali necessitati subuenturum: neque enina obligatio aliorum, tuam in hac re potest aliter diminuerè, quàm præueniendo te in tali subuentione.

Quartus casus est: quando tibi potest quis absolute subuenire necessitati proximi, quam bene nouit, neque scit ei subueniendum esse per alium; sed præstare nequit, quin ipse aut sui incurran in commodum maius, aut saltem parè, à quo liberaret proximum subuentione sua Ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut cæteris paribus, magis se & suos diligat, quam alios: & per consequens maiorem sui & suorum, quam aliorum curam gerat. Quod non faciens argui potest dicto Apostoli in prioribus ad Timoth. cap. 5. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.]

Quibus ita constitutis: de tempore pro quo præceptum elemosynæ obligat statui potest: illud esse in quo proximus laborat necessitate quam ego noui, & cui subuenire possum sine maiori aut pari meo incommodo; nec quemquam scio, qui ei de facto subuenturus sit. Qualis autem esse debeat necessitas proximi, & qualis facultas mea subuenienti ei, vt censeatur talis obligatio contingere, difficultatem aliquam habet, quæ tollitur per dicenda in sequentibus capitibus: ad quæ priusquam aggrediamur, satisfaciendum est vni alteri, huc maxime spectanti.

*Explicatio difficultatis de tempore in particulari, pro quo præceptum faciendi corporalem elemosynam obligat.*

### SECTIO II.

Hæc refertur eò, vt in particulari intelligatur quando certum illud tempus, de quo ante habita est mentio, elemosynam faciendi ex præcepto, censeatur debeat adesse.

248. Supponere autem oportet primo, duo requiri vt quis ad elemosynam faciendam obligari censeatur: vnum ex parte dantis, nempe superfluitatem bonorum: alterum ex parte accipientis, nimirum necessitatem. Nam neque is qui nullo modo superfluum habet, tenetur dare necessitatem patienti neque is qui superfluum habet tenetur dare non patienti necessitatem.

249. Supponere oportet secundo ex D. Thoma 2. 2. qua. 32. art. 5. & 6. Caiet. in tomo 2. opusculi tract. 5. cap. 6. Medina in Cod. De elemosyna, quest. 3. Nauar. in Enchir. cap. 24. num. 6. & ex Summulariis in verbo Elemosyna sub initium, tum superfluum ex parte dantis, tum necessitatem ex parte accipientis, posse esse vel naturæ, vel personæ. Dicitur autem superfluum naturæ, id sine quo viuere potest, tum is qui illud habet, tum etiam familia quam ipse alere, sustentareque debet. Superfluum vero personæ id dicitur, sine quo habens illud non solum viuere & familiam suam alere potest: sed etiam statum conditionemque dignitatem propriam conseruare: quale est (ex Caietani doctrina, quam Nauar. loco cit. approbat) illud omne quo is non indiget vt filios dote sufficeret, aut vt filij decentes suæ conditioni ducant uxores: aut vt familie quam ipsum habere deceat, suppeditet decentia quoad victum, & vestitum, atque alios sumptus conuenientes: aut vt ipsemet habeat necessaria ad amicos excipiendos, ad conuiuia, & donationes honestas, aliaque huiusmodi, quæ intra limites virtutis quisque potest pro qualitate sui status exercere, iudicio pij ac periti viri. Vnde Nauar. ipse refert hominem laicum non esse facile iudicandum plus habere quam quæ sint suo statui necessaria. De Ecclesiastico vero addit aliam rationem esse: quia non licet ei in tot fines coaceruare pecuniam.

Necessarium autem naturæ id dicitur, quod alicui absolute necessarium est ad conseruationem vitæ suæ & suorum. Necessarium denique personæ dicitur, quoad vitam statumque decentem suum ac suorum necessarium est; quod vt annotat ex Syluestro in verbo Elemosyna numero secundo Nauar. loco cit. non consistit in indivisibili, sed latitudinem habet eo maiorem, quo maior fuerit status: plura enim decent Principem, quam simplicem nobilem, & plura hunc quam plebeum. Vbi aduerte quod congruenter doctrinæ D. Basilij in oratione ad sanctos habet Bellarm. in controuer. de bonis operibus lib. 3. cap. 7. sub initium: non ideo opes decere necessarias iudicari, quod non teruentur otiose; sed infumantur in vestibus, aut hortis, aut edificijs: nisi & hæc sint necessaria naturæ, aut

personæ. Nam sicut talia dicuntur alicui superflua, sic etiam dicuntur opes in eis infumendæ.

Supponere oportet tertio, indigentis necessitatem esse posse triplicem: extremam, grauem, & communem. Extrema autem necessitas censenda est, non solum cum quis efflaturus est spiritum, sed etiam cum apparet quod ipse ob defectum necessariorum morietur, nisi de illis ei subueniatur nunc temporis, cum subuentiones possunt ei prodesse. Ita Caiet. in Summula verbo Elemosyna. Immo ex Soto in lib. 5. de iustitia & iure quest. 3. art. 4. ad maiorem necessitatem sufficit adesse verosimile periculum infirmitatis incurabilis, aut alterius miseriz, quæ homines conficere solet, si quidem præueniri cauerique potest. Id quod attigit etiam Paludanus in 4. distinct. 15. quest. 3. art. 2. concl. 1. Quæ vero sit grauis necessitas, certa regula definiri nequit, sed id committendum est prudentis arbitrio, pensata tum qualitate mali, quod timeatur; tum probabilitate incurrendi in illud, nisi obuietur subueniendo: tum demum qualitate personæ cui impendet, alijque circumstantiis: vt v. g. si viro nobili imminet periculum perdendi proprium & decentem statum: nempe quod redactus sit in eas angustias, vt ex statu nobili ad mechanicum se demittere cogatur, aut vt liberi ipsius magnam egestatem pati, aut notabilem bonorum iacturam facere cogatur ob calamitatem ipsius: aut etiam ipse de honore & fama grauius periclitetur, aut ægrotes grauius, etsi non adeo, vt videatur animam statim efflaturus ex Soto in eod. lib. quinto quest. 8. art. 1. sub finem. Communis autem necessitas est, quæ viri prudentis arbitrio, cõsuetur esse infra grauem, modo antedictam acceptam. Istiusmodi est regulariter hominum otiosam mendicantium: & eorum qui vtrumque quidem tuerentur suum statum, sed nõ sine magno labore, nec sine difficultate. Quibus ita suppositis, prius quæ de propõsita difficultate communiter recepta sunt, posterius quæ sunt controuersa trademus.

*Quæ sint communiter recepta de difficultate propõsita.*

### SECTIO III.

Receptum est primo, duabus circumstantiis simul concurrentibus, contingere obligationem faciendi elemosynam ei, qui scitur illa egere, & nescitur ei subuentum iri per alium: prior circumstantia est, si necessitas fuerit extrema: posterior, si quis præter ea quæ necessaria sunt ad suam & suorum vitam sustentandam, habuerit aliqua per quæ possit tali necessitati subuenire: quantumcumque ei non sint superflua considerata decentia status sui, & suorum. Ista est D. Thomæ doctrina in memorato art. 5. & vt habet Medina in Cod. de elemosyna, quest. 3. §. verum, certa Doctorum sententia. Quæ probatur. Tum quia dato quod tempus extremæ necessitatis non sit illud, pro quo præceptum elemosynæ obliget, nullum omnino potest assignari pro quo obliget: tum quia ex ordine charitatis tenetur quisque plus diligere proximum, quoad vitam ipsius corporalem, quam seipsum & suos quoad alia bona temporalia; nisi ea quoque sint necessaria ipsi ad suam, suorumque vitam seruandam. Cuius exceptionis addendæ ratio est; quod iuxta eundem ordinem charitatis nullus tenetur in pari necessitate alios sibi; aut extraneos familiaribus suis præponere: nisi ille qui patitur extremam necessitatem, vir esset insignis, ex cuius vita salus reipublice aut Ecclesiz, notabiliter penderet. Quod à D. Thoma traditum 2. 2. quest. 32. art. 6. communiter teneri notat Gregor. à Valentia ad 2. 2. disput. 3. quest. 9. puncto 4. col. 809.

Receptum est secundo, prædictam obligationem esse sub peccato mortali (quod probatur postea num. 154.) à quo excusatur quidem is qui tantum habet necessarium naturæ: non tamen is qui habet tantummodo necessarium statum, si superfluum naturæ habeat. Id quod manifeste sequitur ex paulo ante dictis, & ita tenet Couar. lib. 3. variarum resolut. cap. 14. num. 5. plures citans in eadem sententiam: quibus accedunt præter Nauar. in Enchir. 24. num. 5. recentiores cõmuniter, inter quos est Banes ad cit. art. 6. D. Thom. sub. 2. Contrariam sententiam attribuens D. Antonino; obijciensque pro ea, quod ex sententia præmissa sequatur hominem aliquando teneri totum patrimonium suum consumi in vsum pauperum: & ex aliquo suo amplissimo statu excidere: vt quando publica famis necessitas viget. Cui obiectioni in dicitur occurrere posse: quod valeat expensis paucis subueniri,

etiam-

etiam si egeant multi: quia non vnus, sed multi sunt qui in publica necessitate elemosynam conferunt: ad quam possunt magistratus auctoritate compelli. Ac licet is qui necessitates videt, teneatur subuenire pro viribus: non tamen cum reip. aut suo maiore damno. Potest enim contingere, vt magis interit reip. aliquos homines grauem necessitatem pati, quam familiam aliquam ex suo statu excidere. Maxime autē, quod (vt Medina notat in prius citata, quæst. 3. §. Ad id autem) experientia doceat multos lapsos esse ita in quo fuerant, vel in desperationem venire, vel furta & rapinas committere, vel alia flagitia perpetrare, quæ saluo suo statu minime perpetraret. Ceterum id totum oportet arbitrio pij & prudentis viri relinquere desinendum, habita ratione fragilitatis humanæ, prout ipse quoque Bannes consequenter monet.

Tertio receptum est communiter (quod notat Petrus à Nauar. lib. 3. de rest. cap. 1. nu. 358. plures ita sentientes referens) extra necessitatem quoque extremam, cum quis superfluum habet tum naturæ tum etiam personæ, contingere obligationem dandi elemosynam: nempe in magna & graui necessitate: puta ad leuandum aliquem longā & graui infirmitate, vel aliqua notabili famiā, aut ne excidat à suo nobili statu, vel vt libere ur̄a captiuitate iniusta, vel ne in magnum aliquid malum incurrat. Istud Bannes ait, in præced. dubio, certissimum esse: quo pro faciūt multæ auctoritates Patrum relate à Bellar. & Greg. à Valent. ab illo in cit. lib. 2. de bonis operibus, cap. 7. & ab hoc in eodem puncto 4. col. 817. Immo & à Gratiano; D. Hieronymo distinct. 4. 2. cap. 1. §. Quomodo etiam: D. Ambrosij distinct. 47. cap. Sicut hi. & distinct. 86. cap. Non satis: ac D. Augustini 1. 4. quæst. 4. cap. Quid dicam. Faciunt etiam auctoritates Scripturæ sacrae: de quibus videri potest Gregor. à Valentia in præced. col. 815 & 816. Sufficit enim vt breuiari consulamur duas notasse vnam ad docendum quod dare indigenti superfluum tam naturæ, quam personæ sit in præcepto. Alteram ad docendum quod tale præceptum obliget extra necessitatem extremam. Prior igitur est Luca 3. vbi D. Ioann. Bapt. à turbis quibus dixerat. Omnis arbor non facit fructum bonum excidetur. & in ignem mitretur. Interrogatus: Quid ergo faciemus? respondit, Qui habet duas tunicas det non habeat, & qui escas habet, faciat similiter. ] de clarans præceptum esse sub pena ignis æterni, vt indigentibus elargiamur nostra superflua; quæ ipse significauit per duas tunicas, & duplices escas. Nam, vt rectè explicat D. Hieronymus in epist. ad Hedibiam, q. 1. vna tunica dicitur vestimentum vnicuique necessarium: sique alicui tres, aut quatuor vestes per hyemem necessarias sint, illæ omnes vna tunica sunt.

Posterior locus est Matthæi 25. vbi inter ceteros, dicuntur æterni igni addicendi, qui non cooperuerint nudos, nõ visitauerint infirmos, & in carceratos; non susceperint hospitio peregrinos; quæ non sunt necessitates de se extremæ. Neque enim indumentum est quid tale, sine quo nequeat homo viuere; nec etiam visitatio infirmorum aut incarcerationum est illis ad vitam omnino necessaria: nec si peregrini non excipiuntur hospitio, ideo exponuntur morti, vt bene argumentatur Medina in Cod. de elemosyna quæstion. 3. §. Tertia eadem sententia. Quare ad obligationem præcepti de elemosyna necessarium non est interuenire extremam necessitatem; sed potest grauis sufficere. Vnde D. Ioannes Baptist. non dixit, Det extremè egenti, sed. Det non habenti. Faciunt denique rationes quæ apud memoratos auctores videri possunt: vnam attigisse satis erit. Nempe, quod si quis superfluum habens nollet alicuius amici necessitati graui subuenire, sufficientem amicitia dissoluendæ causam præberet. Igitur cum id, quod pauperi datur vel negatur in tali necessitate, Christo detur aut negetur: vt constat ex ipsius verbis Matth. 15. amicitia inter ipsum & illum, qui sic non subuenit, dissoluitur: & per consequens peccatur mortaliter; quod non fieret nisi præceptum, cuius transgressione peccatur, obligaret sub mortali. Accedit quod quâuis diuites suarum opum iuste acquisitarum sint reuera domini, habito respectu ad alios homines, non tamen respectu habito ad Deum, cuius comparatione non debent tam domini quam dispensatores dici, vt argumento est, quod sint de illis ratione ipsi Deo redditori: qui pater omnium communis, mundum creauit in communem omnium utilitatem: & per suam providentiam ordinauit, vt in illo essent aliquid diuites superflua

habentes, & alii pauperes necessariis carentes: volendo sicut hos patientiam, ita illos misericordiam exercere ad cōsecutionem regni cœlestis. Quod exercitium negligentes diuites, sicut contra Dei voluntatem agunt ita & pauperibus iniuriam perinde faciunt, ac faceret dispensator Principis, eisdem negans concessum ab illo vitæ subsidium. Quæ doctrina est D. Thomæ 2. 2. q. 32. art. 5. ad 2. vbi adfert præclara D. Basilij verba in oratione ad diuites auaros.

Obiicientibus autem diuitibus, quod nunc superfluum habent se referuare ad necessitates suas, & suorum, ipsi forte superuenturas. Respondendum est cum eod. D. Thomæ ibid. ad 3. non esse referuandas opes propter casus omnes qui aliquando accidere possent, sed solum propter eos qui a deo probabiliter imminant, vt nisi ijs nunc prospiciamus, postea prouideri non posse videatur: alioqui enim peccatur contra præceptum Domini Matt. 6. quo prohibemur solliciti esse de crastino. Nam si censetur sollicitus esse de crastino, qui hodie sollicitus est pro ea re, de qua satis tempestiue cras cogitare poterit.

Aduerte autem, quod etsi multi sint qui grauius egeant, & multi qui habeant ultra necessaria ad vitam: non esse tamen multos casus in quibus contingat hæc obligatio. Quæ iuxta ante tradita num. 246. & duobus sequentibus, requirit i. indigentias esse nobis notas, quæ nos plerumque latent; cum ij etiam qui patiuntur illas plerumque occultent præ pudore neque nos sub mortali tenemur, de illis inquirere, quem admodum Nauar. expressit in Enchir. cap. 24. numero nono: aut si appareant, latent esse vel e graues: plerumque enim incertum est, quæ & quanta sit in paupere necessitas: & sitne vera animata, quæ in ipso apparet. Requirit secundò, non subueniri per alium. Et verò nonnunquam satis certum est, alios diuites non esse adeo auaros, vt nolint tali indigenti subuenire. Requirit postremò, adesse nobis superflua, quibus possimus indigentia occurrenti subuenire: id quod interdum non satis constat. Suntque multa alia incerta, vt bene monet Medina in Cod. de elemosyna, quæst. 3. in fine: ob quorum ignorantiam diuites non sunt facile condemnandi de peccato mortali, si elemosynas non faciunt sed tunc demum, vt idem Medina subdit, cum superfluitatis simul & indigentia certitudo habere-tur.

Quæ sint controuersa de difficultate proposita

#### SECTIO IV.

Primum est, an obligetur quis sub mortali subuenire proximo, in graui necessitate. non tamen extremā, constituto; si habeat quidem superflua naturæ, sed solum necessaria personæ: de qua re agens Greg. à Valen. 2. 2. disp. 3. quæst. 9. in posteriore par. puncti 5. pro parte negante adfert Caiet. in Summa verbo, elemosyna: quam Sylu. etiam in eodem verbo, & Petrus à Nauar. in lib. 3. de restitutione sequuntur: ille quæst. 1. concl. 4. & hic cap. 1. nu. 358. Pro affirmante verò parte adfert Paludanum in 4. distinct. 15. q. 3. & Adrianum quodlib. 12. art. concl. 2. & Dominicum Bannes 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 4. quam & probabiliorem iudicat. Quidquid autem sit in speculatione, negans teneri potest in praxi: hoc maxime nomine, quod cum magna sit multitudo eorum, qui graues patiuntur necessitates, siue in fama, siue in corpore, siue in rebus externis, si sub mortali obligatio esset illis subueniendi, etiam cum aliquo proprij status detrimento, innumeri penè damnandi essent peccati mortalis, qui de talibus necessitatibus non sūt solliciti, tanquam nihil ultra habentes, quam quod est ipsis opus ad se suosque decenter sustentandos. Sacra verò Scripturæ, & sanctorum Patrum auctoritates, quas idem author adfert, non est necesse intelligi de proposito casu (alioqui pars ipsa affirmans, non probabilior, sed certa: contrariaque negans erronea esset dicenda) sed de casu de quo dictum est antea n. 251. Quamquam si is qui tantum habet necessaria ad statum, grauem proximi necessitatem auertere possit sine magno suo detrimento, non videretur excusandus à peccato mortali: tanquam claudens viscera sua à fratre, quem videt necesse habere: & ideo non habens charitatem Patris in se manentem, iuxta D. Ioannem in 1. sua

epist. cap. 3.

Secundum controuersum est, An qui superfluum habet tam natura quam status, teneatur subuenire patienti communem tantum necessitatem.

**D**E hoc magna contentione certatur inter Theologos scholasticos; ac in utramque partem diuersos citat Couar. in lib. 3. variar. resol. cap. 1. §. 4. num. 5. Med. in Cod. de elemosyna, q. 3. Bannes 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 1. parte posteriore & Greg. à Valentia 2. 2. disput. 3. q. 9. puncto 4. in principio posterioris partis. Quorum Medina negantem amplectitur, in eamque Couar. propendit: Bannes uero & à Valentia partem affirmantem. Quod autem uidetur pro praxi enendum, existimo saluo meliori iudicio, bene declarari sequentibus propositionibus.

257. Prima est; Tuius qui rem esse propositi dubij parte affirmantem sequi in praxi, quia nihil periculi habet: negantem nihilominus non esse reiciendam. tanquam probabilitate carentem. Ratio est quod boni auctores illam teneant, qui argumentis contrariis satis bene respondent, ut uidere est apud Medina. A que hanc Bannes ad idem loco citat. conclus. 3.

Secunda est: ratione necessitatis in proposito casu non esse obligationem sub mortali dandi elemosynam. Probat, quia salua charitate Christiana qua quisque tenetur diligere proximum sicut seipsum, is qui superfluum habet potest non subuenire tali necessitati. Nam lege charitatis non tenemur proximis procurare ut commodè uiuant, quandoquidem nec nobis ipsis tale quid procurare tenemur iuxta illud prioris ad Timoth. cap. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Cum igitur ille qui communem tantum parit necessitatem habeat unde possit seipsum sustentare, non erit contra charitatem & mortale, ei negare quod est quidem ei necessarium: non tamen ut uiuat, sed solum ut melius commodiusque uiuat.

258. Tertia propositio est: neque prædictam obligationem contingere ratione superflui, quasi ipsum, quatenus nec ad vitam nec ad statum est diuiti necessarium, eo ipso sit indigentium; etiam si ij communi tantum necessitate premantur. Probat, quia si ea de causa mortale de se esset, superfluum habere in alium finem quam in subuentionem pauperum; pariter esset illud acquirere; quia non minus censendum est peccatum esse, quod is qui nullo indiget, ea quæ sunt pauperum sibi acquirat, quam quod acquisita retineat in alium finem, quam in ipsorum pauperum subuentionem. Istud autem non est peccatum mortale; cum alioqui dicendum esset, hominem quamprimum ad talem fortunam peruenit, ut habeat unde possit naturam & personam competenter sustentare, mortaliter peccare negotiando ad lucrandum aliquid amplius. Similiter habentem que ei ad decorem suum statum sufficiunt, peccate quoque accipiendo alia bona, etiam si ei legitime dorentur aut iure hæreditario debeantur: quandoquidem superflua erunt: cum ex hypothesi iam habeat sufficientia. Quæ quoniam duriora sunt, neque de talibus solet pauperibus esse scrupulus, vel à Confessoribus eis iniici: neque detur ratio efficax, quæ illa admittere compellat, relinquatur sanè, nec esse admittendum, quod peccatum mortale sit superfluum tam naturæ quam status retinere in alium finem, quam in pauperum subuentionem: excepto casu extreme aut quasi extreme seu grauis necessitatis: In quo casu procedit (inquit Medina in eadem quæst. 3. §. ad 2. quod Patres dicunt diuites superflua reuolentes, aliena rapere: & non sua, sed quæ aliena sunt retinere. Nam pauperes, addit ille, qui solum communem patiuntur necessitatem: non dicuntur proprie diuitum bonis indigere, cum sine illis vitam transigere possint.

259. Quarta propositio, Quamuis retinere superfluum non sit de se malum, sed, ut habet Med. ibidem §. similiter, sit indifferens: frequenter tamen peccatum posse esse; primo quidem, si quis ad malum finem retineat: media enim induunt malitiam finis ad quem ordinantur. Secundò, si ad finem iudicio pij & prudentis uiri, indubitum; ut ad acquirendum sibi honorem, aut statum quem homines ei simile non solent honestè prætere. Nam talis inordinatio aduersatur rectæ rationi, & ideo peccatum est: de cuius granitate iudica-

ri debet ex circumstantiis. Tertio, si in nullum bonum finem retineat; licet enim non retineat in malum, peccatum tamen saltem uenialiter, tanquam agens temere, nullo sibi proposito sine debito, seque inordinatè gerens ac malè sibi consulens, dum contra quam perfectio Christiana requirit, superfluis abundans, non subuenit mendicis: quantumcumque talis subuentioni maximis Christi promissis, & frequentissimis Sanctorum cohortationibus, & exemplis, commendatissima habeatur in uita Christiana. Certè indignum est, te de regere fratri subuentionem, quam sine tuo incommodo præstare potes, qui iubetis Exod. 23. a finem te odientis lacentem sub onere subleuare, cum eo necaliter pertransire. Quarto, si retineat ex immiseri cordia in pauperes, non uidetur excusandus à mortali: nisi enim, que aperire deberet, claudat illis viscera sua; charitas Dei non manet in eo, ex 1. epist. Diui Ioan. cap. 3. Quod & confirmatur per parabolam de diuitie epulone Luc. 16. & per illud Iacobi 2. Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam. Quintò, si retineat ex auaritia, puta non alium finem prætendens, quam abundare, & diuitias augere, eas recondere & custodire; nihil de pauperibus curans: neque in diuiti a largitate tam confidens, quam in diuitiis: in hisque totum suum principalem affectum collocans. Quem excusandi à mortali ratio non apparet; quandoquidem talis est qualis Luca 12. damnatur à Domino, proposita parabola de eo, cuius cum ager uberes fructus attulisset dixit, Destruam horrea mea, &c. §. 4. item ab Apostolo ad Ephesios 5. dicitur idolorum seruus: qualemque ut seruum diuitiarum, Christus negat posse seruire Deo Matth. 6. dicens Non potestis Deo seruire & mammonæ. Iacetiam quem in sequ. c. 19. ait tam difficile esse intrare in regnum caelorum, quam camelum transire per foramen acus: & in quæ maxime proferenda est condemnationis sententia de qua Matth. cap. 25. contra quem demum à Sanctis passim tam multa dicuntur. De particulari obligatione Ecclesiasticorum faciendi elemosynam ex suis redditibus, dicitur proprio loco in lib. 3. tract. 3.

Tertium controuersum. An indigentibus sit elemosyna facienda donando, an uero sufficit mutuando eam facere.

**S**ententia est Adriani quodlibeto 1. art. 2. quam sequuntur Couar. ad regulam, peccatum part. 2. §. 1. num. 4. & Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 61. & cap. 2. 4. num. 5. diuitem satisfacere præcepto elemosynæ quo tenetur subuenire pauperi extremam aut grauem necessitatem patienti, si subueniat mutuando seu intendendo obligare eum, ut cum uenerit ad pinguem fortunam, tantumdem restituar. Contrariam autem sententiam (caeteris eam tenentibus citatis) sequuntur Petrus à Nauar. in lib. 3. de restitutione, & Greg. à Valen. 2. 2. ille cap. 1. nu. 365. & hic disput. 3. quæst. 9. puncto 4. in fine prioris partis.

260. Cæterum neutra uidetur absolute vel reicienda vel sequenda, sed cum duplici limitatione, ut bene notat Medina in Cod. de elemosyna, quæst. 6. Prior limitatio est ex parte recipientis; qui nonnunquam ita inops est ut non habeat actu propria bona, quæ retribuere possit, nec etiam artem, nec uires nec industriam, nec denique modum aliquem unde uitæ necessarialiter quæ mendicando ualeat acquirere; ut sunt claudi, cæci, & alij morbo incurabili laborantes, item qui senectute, quæ grauis & incurabilis infirmitas est, sunt confecti. Nonnunquam uero, etiam si bona temporalia illi desint, pollet tamen uiribus, quibus laborare potest, & operam suam locare, aut artem aliquam habet vel industriam per quam potest aliis prodesse, unde mereatur mercedem, seu stipendium: quo si uelit, possit proprie necessitati subuenire. Et igitur qui priori modo inops est, facienda est elemosyna gratis & liberaliter propter Deum, sine ulla spe retributionis ab ipso proventura; quia is uerè pauper est, destitutus omni humano subsidio. Et ita procedit posterior sententia. Et uero qui inops est posteriore modo, subueniri debet quidem (sed necessarium est id fieri largiendo elemosynam per modum donationis ita ut quantum illi de tuis rebus dederis tantumdem possis sperare & acquirere de rebus illius: siue quas actu iam possideat, & uendere possit siue quas propria operam locando vel ob-

sequium

sequium impendendo alijs, acquirere possit. Atque ita procedit prior sententia.

261. Quæ extendi etiam potest ad casum in quo is qui extreme indiget in vno loco, bonis abundat in alio: prout contingere potest diuiti peregrinanti in terra aliena: et si enim is qui potest teneatur ipsum ab ea necessitate liberare, non teneatur tamen sub mortali id gratis facere: sed mutuando, vel locando rem suam. Quandoquidem à Soto notatum in lib. 4. de iust. & iure quest. 7. art. 1. sub fine admittunt Bannes, & à Valentia, hic loco cit. & ille 2. 2. quest. 32. art. 6. dub. 3. Ideoque merito, quia nec talis veie pauper est, nec sic humana facultate destitutus quin possit retribuere. Quod idem eadem ratione dici posse videtur de eo qui est de presenti nulli boni habeat, tamen spes est moraliter certa, quod postea habebit: quia quamuis nunc grauitur aegrotet, facile tamen restituetur sanitati, viresque habebit quibus poterit artem suam aut industriam qua pollet, exercere, & acquirere ad rependum quod in necessitate sibi concessum fuerit: quo nomine pauper omnino esse, & humana facultate destitutus negari potest. Accedit quod Tobias quamuis operibus misericordie maxime deditus esset, Gabelo tamen egeni subuenit dando mutuo pecuniam sub chirographo quem apud se habebat, Tobias cap. 7. Item quod Ioseph vir iustus, Gen. 47. Aegyptiis graui necessitate pressis non liberaliter, sed pro tributo quintæ partis fructuum colligendorum ex agris ipsorum, dedit ritum: quia non erant vere pauperes: cum adhuc haberent possessiones quas in pretium dare possent; effectq; verosimilis spes, quod debere laborantes habituri essent commoditatem reddendi, quod exigebatur ab ipsis pro tritico eis dato ad subueniendum suæ necessitati.

262. Est adhuc alius casus, ad quem eadem extensio fieri potest: puta cum res, qua subueniendum est proximi necessitati, non est vsu consumptibilis, eademque necessitati solo eius vsu subueniri potest; sæpenumero enim ad subueniendam pauperis necessitatem sufficit rei vsus. Quo proinde liberaliter concessio, non est necesse simul illius rei dominium transferri: quod est sufficere, vt talis res mutuo detur, ita vt debeat restitui transacta necessitate. Pro quo factis, quod præceptum de elemosyna non obliget ad plus dandum, quam requiratur ad subuentionem occurrentis indigentia proximi, iuxta D. Thomam in cit. q. 32. art. 10. Sic igitur si ad euadendas manus hostium qui me iniuste ad necem querunt, opus habeam equo tuo, non teneris illum mihi donare, sed ad solum commodare, quem necessitate transacta tibi restituum: & ita de similibus.

263. Posterior limitatio proponitur de tentationum, quæ est ex parte datur elemosynam, traditur à Medina loco cit. his ferè verbis. Qui de his quæ sunt necessaria ad statum, aliquid notabile largitur, existenti in extrema necessitate, qui etiam si non habeat actu vnde retribuere possit, habet tamen in spe: quia scilicet de eo speratur quod veniet ad pinguiorem fortunam, non videtur ille teneri huic gratis necessaria ministrare, sed posse eum obligare conditionaliter; vt si ad pinguem fortunam venerit, æquiualens reddat. Quod similiter dicendum videtur si quis in eodem casu det de superfluis status, quæ alioqui in rebus reip. necessarijs, seu valde vtilibus expendenda erant: præsertim quando sic datum, in notabili fuerit quantitate. Ratio autem est: quia licet obligationem alicui ad id imponere, ad quod alioqui ratio naturalis ipsi adstringit. Id quod in casu proposito fieri, patet ex eo, quod ille qui de necessarijs ad publicas vtilitates accepit, si veniat ad pinguem fortunam, quæ possit supplere quæ de sunt iis à quibus accepit, nec velle iudicatur contra rationem naturalem impie & inhumanè agere. Secus verò esset si de superfluis status accepit, quæ non ad publicas necessitates, aut vtilitates referabatur: sed ad diuitias augendas, aut in fines malos, & inutiles. Atque per hæc solui poterunt dubia occurrentia de Aduocatis & Procuratoribus, respectu clientum; & de Medicis & Pharmacopolis, respectu ægrotum; alijsq; respectu eorum quos iuuare debent in extrema, aut graui necessitate.

Quantum controuersum est, An omittens elemosynam, cum eam facere tenetur, obligetur ad aliquam restitutionem & satisfactionem necessitate.

264. Pro parte affirmante adferri potest quod talis retineat alienum: vt patet ex verbis D. Basilij relatis à D. Thomam 2. 2. quest. 23. art. 5. ad 2. D. Ambrosij relatis in cap. Sic ut hi, distinct. 47. D. Hieronymi relatis in cap. Hospitalem distinct. 42. & D. Augustini relatis in cap. Quid dicam 14. quest. 10. 4.

Sed pars negans tenenda est cum Medina in Cod. de reb. restituendis question. 3. causa 1. §. Est alia questio, vbi bene hoc disputat: & cum eo Nauarr. in Enchir. cap. 24. num. 7 & Sotus in 5. de iust. & iure question. 3. art. 4. ante solutionem argumentorum. Ratio est: quia cum restitutio sit actus iustitiæ, nisi detur peccatum contra debitum ex iustitiâ, non confurgit illius obligatio: non enim sufficere si peccatum detur tantum contra debitum charitatis, communis est sententia Theologorum, vt ex Medina in sequent. quest. 9. habet Couar. ad regulam peccatum 2. par. §. 3. numer. 5. in eam citans D. Thomam & aliquos alios. At elemosyna etiam extreme indigenti, debetur tantum ex charitate: seu tanquam opus misericordie à charitate imperatum. Si enim deberetur ex iustitiâ oporteret indigentem dominium habere rei possessæ à diuite in elemosynam ei largiendæ: alioqui enim non auferretur illi quod suum est; in quo consistit peccatum contra iustitiâ, inducens obligationem ad restitutionem. At non habet nam dici non potest aliunde habere, quam ex eo quod iure naturæ in extrema necessitate omnia sint communia: vnde sequitur potius oppositum: nempe in ea necessitate res à diuite iuste alioqui possessas, non esse proprias pauperis potius, quam ipsius diuitis. Deinde esto quod ius naturæ ob extremam necessitatem res diuitis faciat proprias pauperis extreme indigentis; non facit tamen conclusa ea necessitate: quia ratio faciendi, tunc cessat. Quo fit vt pauper postquam liberatus est à necessitate, non habeat plus iuris in bonis diuitis, quam habuerit ante necessitatem. Denique cum alicubi multi sunt diuites, pauper ibi extreme indigens, vel ius & dominium habet in res omnium illorum (neque enim causa est cur potius habeat in res vnus quam alterius) vel certe nullius: quod posterius si dicatur habetur in rem: nempe nihil tali pauperi à necessitate liberato deberi ex iustitiâ reddendum, tanquam suum. Si verò dicatur prius, dicendum erit consequenter omnia superflua omnium illorum diuitum esse illi pauperi egestatem euadenti, reddenda tanquam sua: quod absurdum est.

265. Dicta autem Parrum quibus significant superflua diuitum aliena esse; sic accipienda sunt ex Medina in fine ante memoratæ causæ. vt sensus sit talia pauperum esse; tanquam eis debita & communicanda, quando necessitas ipsorum postulat: atque eum qui id omiserit perinde peccare ac si aliena rapere: quia diuites auari qui nolunt indigentibus subuenire, raptoribus æquiparantur in culpa, non item in obligatione restituendi. Quæ etiam ratione, vt idem Medina attrahit quæ 9. item memorata, accipiendum est illud D. Ambrosij quod habetur distinct. 86. Pascere fame morientem: quisquis enim pacendo hominem seruare poteris; si non paupis, fame occidisti. Accipiendum est item quidquid in eam sententiam inuenitur à Patribus dictum: nimirum, vt significantur pacificari quoad culpam; is qui extreme indigenti in perire permittit cum possit illi subuenire, & is qui perimit, quoniam uterque similiter peccat contra charitatem. Non autem quoad obligationem ad restitutionem: quia non peccat perinde contra iustitiâ qui perire permittit, ac is qui perimit: quia peccatum illius totum consistit in omissione elemosynæ, quæ non iustitiâ, sed misericordie actus est illicitus; & charitatis, imperatus.

266. Cæterum extendenda est hæc responsio iuxta Nauarr. ad damna secuta: ita vt diues nec rem quæ in elemosynam largienda erat pauperi extreme indigenti, teneatur ei dem dare, transacta necessitate: nec etiam relaxare damna ex negatione elemosynæ secuta: vt si forte ex negatione, membrum aliquod amisit, aut in notabilem morbum incidit. Ratio est: quia nec id imputatur ad culpam admittam contra iustitiâ; sed tantum contra charitatem: ita vt in ducat quidem obligationem



fatis facend. Deo per penitentiam: non autem homini per restitutionem. Oppositum tamen, quod Petrus à Navar. tenet in lib. 3. de restitutione cap. 1. num. 153. admiserim, non modò in casu quo quis ratione officij aut ob acceptum stipendium speciali obligatione tenetur prospicere indemnitati necessitatem parientium, prout Medina & Navar. concedunt: sed etiam quo quis in extrema necessitate constitutus, iure suo petens auraret habere contendens ex bonis diuitis, quantum requiritur ad subueniendum suæ præsentis indigentia, diues ipse reluctatur. Nam cum is qui in tali necessitate constitutus est ius habeat, ut ex bonis diuitis tantum capiat, quàm suæ indigentia sat est: meritò id prædicto modo impediens, dici potest iniuriam facere, ac iustitiam violare, perinde ac dicitur is, qui quempiam alium habentem ius ad rem aliquam, impedit indebitè, ne eandem ipse obtineat. Cui doctrina consequens est: eidem diuiti incumbere obligationem refarcienti damna, quæ ex tali facto suo secuta fuerint, quorum sufficientem causam culpabiliter dat contra iustitiam.

267. Porro quod diues possit à iudice cogi ad subueniendum extremè indigenti significauit D. Thomas 2. 2. q. 118. art. 4. ad 2. cum debitum legale vocauit illud, quo diuites ad talem subuentionem tenentur: & ita notauit ibidem Caietanus, & sentiunt plures alij quos refert Couar. in lib. 3. var. resolut. c. 14. num. 5.

Habet etiam Caiet. extremè indigentem, qui nec petendo, nec implorando Iudicis officium obtinere potest id quo indiget ad subleuandam suam indigentiam, posse illud propria autoritate capere, siue clam, siue aperte. *quamquam semper vitandum est scandalum, siue villosi furti, aut rapinae vitio.* Quæ est doctrina D. Thomæ in præced. quest. 32. art. 7. ad tertium & quest. 66. art. item 7. & post ipsum Soti in lib. 5. de iust. & iure quest. 3. art. 4. Fundamentum verò est, quod ius gentium quo ciuilia sunt rerum dominia, non potuerit præiudicare facultati, quæ cuius compent, ut suæ extremæ indigentia possit prouidere ex iis, quæ à natura ad illam subleuandam ordinata sunt. Quod tamen aduerte non procedere, si enim quo caperet, in parem necessitatem conuiceret: quia in eo casu alter non tenetur ei subuenire. Nam quando cætera sunt paria, melior censetur esse conditio possidentis.

Addit verò Sotus, non licere propria autoritate idem facere in necessitate grani: quia etiam si diues adeò abundet, ut possit & debeat subuenire talem necessitatem patientis; tamen multi alij sunt egeni, diuersis locis, ac temporibus occurrentes, in pari necessitate constituti: quibus subuenire conuenientius esse iudicabit. Quod quidem arbitrio ipsius relictum esse cõletur eo ipso, quod præceptum elemosynæ datur sine determinatione ad certam circumstantiam. Accedit quod si a libertas daretur egenis, pateret via furtis, & rapinis: si quidem facile quisque putaret se grauem pati necessitatem, & alium superflua habere, quæ possit ad subleuandam indigentiam suam capere.

Cæterum eadem ratione qua dictum est licere necessitatem extremam patienti capere alienum ad eam subleuandam, dici quoque potest, idem licere alteri qui videns talem necessitatem ipsius, nequit ei de suo subuenire. Quæ doctrina D. Thom. 2. 2. quest. 32. & 66. vtrouique art. 7. ad 3. & post ipsum Soti lib. 5. de iust. & iure quest. 3. art. 4. ad 3. Medina in Cod. de elemosyna quest. 4. §. Reducendo, & Gabr. in 4. dist. 16. qu. 4. art. 2. conel. 3. E ratio est: quia si potest per se licitè capere, poterit quoque pro ipso alius qui tenetur quo modo licitè potest, ei subuenire. Cavendum est tamen in ea re scandalū, & ne is à quo capitur constituatur in simili necessitate: nam ei fieret alioquin iniuria. Vnde Navar. in Enchir. cap. 17. numero 153. quod vxor potest de bonis mariti elemosynam facere extremè indigenti: limitat addès, quod cauere debet, ne ob id maritus ipse egeat extremè. Extra necessitatem autem extremam ut addit ibidem Medina; nemini licitum est de alienis bonis indigenti subuenire, sine consensu veri domini expresso, aut rationabili: et præsumpto: quia secundum Apostolum, Non sunt facienda mala, ut eueniant bona. ad Ro. 3. tuncq; furtum committeretur accipiendo alienum inuito domino.

268. In ead. questio. docet Medina, quod notandum est pro praxi, illicitum esse habenti propria & sufficientia bona, accipere de bonis alius diuitis, ut patienti extremam neces-

sitatem taliter subueniat, ut ipse illi de bonis suis propriis tantam det, & ab aliis diuitibus absentibus, aut subuenire nolentibus, tantumdem accipiat, ut de alienis simul & suis subleuet eiusmodi necessitatem. Ratio est, quia sicut non est licitum alicui aliena sine domini licentia subripere ad subueniendum propria necessitati, si alius habeat vnde subueniatur nec ad subueniendum alienæ necessitati.

Ad quod facit illud D. Augustini relarum in cap. Fortè 14. quest. 5. Fortè aliquis cogitat, multi sunt Christiani diuites auari & cupidi, non habebō peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dederō. Vnde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere poterō. Sed huiusmodi suggestio à Diaboli caliditate suggeritur. Nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potius peccatum (alienando scilicet non suum) quam minuat. Neque refert quod in illo casu obligatio subueniendi tali pauperi concernat omnes illos diuites, nec fiat illi iniuria, cum de bonis ipsorum id agitur, quod ipsi agere deberent. Nam si hoc excusaret illum qui de propriis bonis ratam dat ad subueniendum extremè indigenti, excusaret pari ratione, nihil de illis dantem: sed tantummodò ex alienis subuenientem: quia tunc etiam id ageret quod alij de quorum bonis accipit, deberent agere. Nec responderi potest obligationem tantum esse subueniendi pro rata. Nam ea imponitur sine eiusmodi restrictione, etiam si conditionata sit. Quod ut melius intelligas, aduerte duplicem esse obligationem, qua quis tenetur ad aliquid: vnam absolutam directè concernentem singulos; ita ut ex eo, quod vnus illam obseruet, alius non excusetur: talis est obligatio diuinorum & Ecclesiasticorum mandatorum, quæ fidelibus dantur obseruanda à singulis: alteram verò conditionem, qua tenetur quis ad aliquid, si alius id non faciat; non item alio id faciente: talis est quæ communitatis em aliquam directè concernit, non item singulos qui de ea sunt. In cuius exemplum adfert Medina eam, quæ imponitur homini ducendi vxorem ad finem multiplicandi genus humanum: quæ obligatio quando ab aliquibus sufficenter compleitur, cæteri non censentur illius violatione peccare: cum verò nullus est qui complere velit, omnes quos eadem obligatio tangit, peccant: nam certum est tali violatione committi peccatum. Quod quidem communitati sit tribuere, ut nullus de eadem in particulari peccet, absurdum est dicere: ac cur vnus potius, quam alter peccate dicatur, nulla est ratio: cum omnes & pariter obligentur, & pariter transgrediantur obligationem. Itaque si essent decem diuites videntes pauperem fame perentem, nullusque ipsorum ei succurreret, omnes & singuli peccarent mortaliter; sicut si in aliqua Ecclesia, inquit Medina, plures Sacerdotes obligati sint; non plus vnus quam alius, ad dicendum vnam Missam in die Paschæ, & nullus eam dicat, vnusquisque eorum peccat: quia etiam si nullus absolutè teneretur tunc dicere, tenebatur tamè conditionaliter; nempe aliis non dicentibus.

## CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

De iis à quibus debet elemosyna corporalia fieri de præcepto.

### SVMMARIVM.

- 269 Extra necessitatem extremam fieri debet elemosyna ab iis qui diuitiarum habent proprietatem, & liberum vsum.  
 270 Possunt aliquando tutores, & curatores elemosynam facere de bonis minorum, quorum curam gerunt.  
 271 Differentia inter vxorem, filium, Religiosum, & seruum: tum quoad subiectionem, tum quoad bona temporalia in ordine ad faciendam elemosynam.  
 272 Quatenus iidem possint facere elemosynam.  
 273 Possunt modicas de præsumpto Superioris consensu.  
 274 Possunt etiam de concessis ad se sustentandum: illud quod sibi subtraxerint erogare.  
 275 De bonis suis castrensibus, aut quasi castrensibus possunt filij facere elemosynam: & quæ sint talia bona: de aliis bonis non item.  
 276 Vxor potest facere propria autoritate elemosynam de bonis paraphernalibus, & quando possit, de iis quæ lucratur.  
 277 Quando elemosyna facta ab inferiori sine autoritate Superioris inducat obligationem ad restitutionem.

278 Vxor de bonis sibi communibus cum marito potest eleemosynam facere in huius utilitatem, siue corporalem siue spiritua-

lem.

279 Quando possit cum marito absens est.

280 Quando cum marito amens, aut status est.

281 Quando sanguine sibi proximè iuncti possit ex iisdem bonis subuenire.

282 Quando vxor ob mariti iniquum usum bonorum communium, possit ex illis sibi accipere.

283 Quas eleemosynas facere possit, qui familia religiose caput est.

**E**X dictis in præced. cap. satis constat in extrema necessitate faciendam esse eleemosynam ab illis omnibus qui possunt, siue de suo, siue de alieno.

Extra eam necessitatem verò ab illis qui substantiam huius mundi habent, ut loquitur D. Ioan. in 1. epist. cap. 3. hoc est, qui diuites sunt habentes dominium & proprietatem diuitiarum, & liberam eorum dispositionem. Nam de propriis tantum debet extra necessitatem extremam eleemosyna fieri, ut in sequenti cap. docebitur: nec potest quis rem eam quæ alteri subicitur, sine eiusdem consensu alienare, & per consequens nec eleemosynam de ea facere. Quod D. Thomas docens 2. 2. question. 32. art. 8. distinguit quatuor genera personarum, quæ ob subiectionem impediuntur facere eleemosynam: nempe vxores, quæ sunt in potestate maritorum; filij, qui in potestate parentum: serui, qui in potestate dominorum: & Religiosi, qui in potestate suorum Prælatorum. Omnes enim hi eleemosynam facere non debent de re secundum quam subiciuntur, nisi in extrema pauperum necessitate in qua communia sunt omnia, vel de Superiorum suorum consensu.

270. Addit Medina in Cod. de eleemosyna question. quarta in initio, ut mente captos, ita & pupillos, ac minores, qui tutoribus & curatoribus subiciuntur. Quoad quos solum monendum est ex eodem autore in fine eiusdem questionis, de ipsorum debito aut presunto sensu, eosdem tutores, & curatores posse pauperibus subuenire, officiumque pietatis, & fraternæ charitatis taliter exercere, qualiter illi si ad ultimum ætatis essent, exercere deberent. Nec enim censenda est cura seu tutela committi contra bonos mores, & contra pietatem erga pauperes habendam. Addit etiam idem Medina, illos quorum bona sunt ipso facto confiscata, ut reorum læsæ maiestatis, siue dignæ, ut hereticorum; siue humane rei rebellium. Sed id diffinitatem habet minuendam per illud quod in libro de iurisdictione capite 27. docendum est de lege pœnalis; eam non obstat quominus rei, bonorum suorum dominium retineant, donec interuenierit Iudicis sententia criminis declaratoria. De quatuor autem prius memoratis generibus, aliquot documenta tradenda tractandaque occurrunt pro præxi.

Documenta de eleemosyna qua fieri potest ab vxore, aut filio, aut seruo, aut Religioso.

SECTIO PRIOR.

271. **P**rimum est; Non esse parum illorum omnium subiectionem, sed aliorum maiorem esse, aliorum minorem: vxorum enim minima omnium est; aliorum minorem: vxorum enim minima omnium est. Nam ex in multis rebus dominantur, & cum viris quasi diuisum habent imperium. Et enim ipsæ de consuetudine domestica ac minoribus negotiis præstant: sicut viri forensibus & maioribus. Quæ consuetudo consentanea est naturæ, cum creata sit femina ut esset vitæ sociæ viri, non autem ancilla, sicut nec domina. Vnde nec de capite viri, nec de pedibus, sed de latere formata est: ut iuxta se ponendam cognosceret, quam de suo latere sumptam didicisset, ut notatum à D. Augustino, refertur à Magistro sentent. lib. 2. distinct. 18. Filiorum autem subiectio minor est, quam Religiosorum; quia illi non parum habent libertatis: hi verò, per obedientiam & votum se totos arbitrio suorum Prælatorum addiderunt. Et denique minor est subiectio Religiosorum quam seruorum seu mancipiorum; quia in illis genus quoddam libertatis inuenitur; in hoc consistens, quod imperium Prælatorum sit politicum, quod refertur ac ordinatur ad commodum & utilitatem subditorum, iuxta illud Apost. ad Heb. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruegilant tanquam rationem pro animabus vestris redditori. Domini verò in seruis imperium habent,

& potestatem tanquam in suam possessionem; ideoque ordinant & referunt eorum operas, in propriam suam utilitatem, non autem illorum commodam: sicque maxima omnium est subiectio seruorum: de qua legi potest Sotus in 4. de iust. & iure q. 2. art. 2.

Secundum documentum est differentiam quoque cerni inter quatuor prædicta personarum genera, quoad bona temporalia, de quibus fieri potest eleemosyna, nam vxor habet dominium suæ dotis & suæ portionis bonorum quæ durante matrimonio acquiruntur. Filij verò non sunt domini paternorum bonorum, etiam si ius ad illa habeant. Religiosi autem professi, nullum ius nec dominium habent in particulari, etiam si habeant in communi. Serui denique ius, aut dominium bonorum siue in communi siue in particulari nullum habent.

Item vxores, & filij etiam dum subiciuntur viris & patribus, possunt habere bona aliqua sua, secundum quæ non subiciantur illis: consequenterque possunt de talibus facere eleemosynam; sine eorum quibus subduntur licentiâ, siue expressa siue etiam tacita ex D. Thom. in cit. art. 8. quem sequuntur non modo ipsius interpretes sed etiam Paludanus & Richardus in 4. distinct. 15. ille quest. 3. art. 6. & hic art. 2. quest. 6. itemque Abulens. ad cap. 6. D. Matth. quest. 57. & Syluæ. in verbo eleemosyna quest. 5. aliique communiter. Religiosi verò professi & serui (secus de famulis qui liberi sunt, & sibi acquirere possunt ut bene in sequenti quest. 56. monet Abulensis) quidquid acquirunt, vel monasteriis vel dominis suis acquirunt; unde extra casum extremæ necessitatis, eleemosynam facere non possunt, sine consensu expresso vel rationabiliter presunto Prælatorum, vel dominorum suorum: sicut nec possunt vxores & filij de bonis quæ maritis vel patribus subiciuntur. Cuius doctrinæ D. Thomas ibidem, rationem hanc adfert: quod hic sit ordo naturalis, ut inferiora, secundum regulam superiorum regantur iis in quibus subiciuntur. Ut igitur talis ordo seruetur in largitione eleemosynæ, non debet ab eo quia tibi subicitur, de illis fieri in quibus subicitur, nisi quantum illi fuerit à Superiore commissum.

273. Tertium documentum est: eiusmodi commissionem præsumi rationabiliter in duobus casibus. Prior est quando res quæ dantur sunt parui momenti, & quæ communitè consueverunt dari illis pauperibus qui eleemosynas ostentim petunt: nam in talibus rebus non est necessarium requirere Superioris sui voluntatem. Quæ rationabiliter etiam tunc esse præsumitur cum quid tale prohibet expressè ex Abulen. in cit. quest. 57. & Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 153. atque ex aliis quos refert Petrus à Nauar. in lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 83. quia vero simile est ipsum id facere, ne subditi eleemosynas tribuant extra modum consuetum. Quamquam si crederent ipsum verè nollet, & faciant, etiam consuetam & moderatam, deberent à faciendâ abstinere, ut idem addunt iuxta c. Quod Deo 33. qu. 5. Nec refert quod ibi sermo sit tantum de vxore: quia de cæteris idem pari ratione: immo & maiore dici potest: sicut dicit Abulensis de filiis q. 58. & de seruis & famulis q. 59. ad c. 6. D. Matthæ.

274. Posterior casus est, quando Superiores dant aliquid certum subditis suis, ut ex illo se alant, aut aliter in proprios usus insumant: censetur enim ipsis liberum relinquere, ut si quid velint sibi subtrahere in pauperum eleemosynam, id faciant. Sic ergo quando seruo quotidie cibi potusve taxata portio conceditur à domino; id quod ille per abstinentiam subtraherit sibi ex eadem portione, censetur tacito interpretatio quæ domini consensu et relicta: ita ut possit illud dare in eleemosynam: Et pari ratione ex Abulen. in cit. question. 59. si vnoquoque die dominus à seruo certum pensum exigat, aut certum laboris diurni pretium, censetur etiam tacite consentire, ut quod idem seruus amplius acquisierit, sit eiusdem: ita ut illud tanquam proprium, non requisito domini consensu, possit in eleemosynam dare. Nisi forte tantum abstinentiæ, aut laboris assumeret, ut inde immineret ei mortis aut grauis ægritudinis periculum, aliudue in seruitio domini notabile detrimentum. Simili exceptione limitanda etiam est parcitas vxoris in simili casu (quo scilicet ei à viro certa portio pro quotidiano victu taxata esset ex Nauar. in seq. n. 154.) nempe dummodo ea non sit in præiudicium familiarum. Nonnullam enim fit, ut non tantum sibi, sed etiam filiis & famulis

suberat ac minuat de necessitatibus, ut sibi lucretur: quod ei non licet in damnum aliorum, prout bene nota Petrus à Navar. *lib. 3. de rescriptis. c. 1. num. 88.* Sicitem filij ex Navar. in *Enchir. ca. 17. num. 157.* Itemque Religiosi ex Medina, in *cit. q. 4. §. Idem dicatur:* ac tum vtrique illi, tum etiam serui ex Syl. in *verbo Elemosyna. q. 5. in initio.* cum peregrinantur, aut in scholis versantur, possunt de bonis à Superioribus ad se sustentandum concessis, dare elemosynam: quia putandum non est eosdem Superiores tam feueros esse, ut quando prædicta ratione suis illis inferioribus bona tradunt, ipsos in nullo velint pauperibus subuenire. Id quod procedit ex Abulensi in *seq. q. 60.* non tantum cum Superior inferiori assignauerit certam pecuniam, quam putauit ei sufficere ad moderatam sustentationem: sed etiam cum relictum est ipsius libertati id expendere quod honestè ipsi suffecerit; quia eo ipso, quod talibus conceditur licentia manendi in scholis, aut peregrinandi, censetur quoque concessa faciendi quæ honestè & piè solent scholares, & peregrinantes facere argumento cap. Præterea. De officio deleg. dum modo tamen feruetur moderatio, excessusque vitetur quem probabiliter Superior videatur non probaturus; de quo certa regula dari non potest sed relinquatur prudentis arbitrio. Addiderim ex eodem fundamento, casum in quo aliquis talium, elemosynam etiã largam ex bonis sui Superioris alicui dederit, illam multum indigentibus, conceptã prudenter ex circumstantiis magna spe, quod Superior ipse id ratum habeat; ut quia aliter est ei consanguinitate, aut amicitia maximè coniunctus.

275. Quartum documentum est: bona de quibus filij possunt elemosynam facere propria auctoritate, & sine consensu patris esse castrensia, & quasi castrensia. Dicuntur verò castrensia quæ filius acquirerit in bello, ut stipendium, & prædã iusti belli ex Abul. in *cit. quest. 58.* atque id quod de genti in militia donatur occasione militiae, à parentibus cognatis aut alijs; ac quidquid aliud acquirerit in militia, illud non acquiras nisi militasset. ex Syluest. in *verbo Peculium numero primo.* Quasi castrensia autem bona filiorum dicuntur, quæ illi acquirunt ex officio publico: puta à Medici, Advocati, Magistri, & similibus sine sit salarium publicum, sine non. Nam ut contra eundem Syluestrum nota Petrus à Navar. in *cit. cap. 1. num. 68.* satis est quod causa ob quam datur, sit publica, ut ars vel scientia; licet salarium non sit publicum: sicut satis est ad castrensia quod accipiuntur occasione militiae, etiam si non datur ut publicum salarium. Dicitur etiam quasi castrensia quæ à filio familiae Clerico, acquiruntur ex officio suo Clericali, vel ex beneficio Ecclesiastico. Nam ea non pertinere ad patrem, omnes fateri notat idem author in *seq. num. 71.* De cæteris bonis quæ acquirerint filij, nequeunt ipsi, sicut nec de alijs bonis parentum elemosynam facere: quia quoad ea parentibus subiciuntur: prout in sequenti lib. 2. c. 2. sect. in fine dicitur.

276. Quintum documentum est: bona de quibus vxores possunt elemosynam facere propria auctoritate sine mariti consensu esse: tum paraphernalia: quo nomine à Græcis sumptum, significantur ut Navar. habet in *Enchir. cap. 17. num. 153.* quæ vxor dum nubit in suos usus sibi reseruat præter dotem, quam marito dat pro oneribus matrimonij. Tum etiam propria luca, id est, ex eodem Navar. in *sequent. num. 155.* illa quæ vxor à qua maritus dotem accepit sufficere ad onera matrimonij, lucratur per rem quam nouit texendi, aut faciendi, aut acui pingendi, vendendi, & emendi aut aliam similem; nõ deferendo debitam domus administrationem. Quod documentum habetur ex D. Thoma 2. 2. *quest. 32. art. 8. ad 2.* communiterque à Theologis scholasticis, & sumulariis receptum esse habet Syl. in *verbo Elemosyna num. 8.* Intelligendum autem est ut monet Navar. in eodem numero 155. dummodo propria familia verè talibus bonis non egeat: quia ex præcepto charitatis subueniendum est. Primò domesticis, iuxta c. Non satis distinct. 86. tenerurque marito cooperari in ferendis oneribus matrimonij. Dummodo item consuetudo, aut lex specialis provincie vel ciuitatis non sit in contrarium; ut esse censetur ea, quæ in quibusdam locis, teste Syluest. in *verbo Paraphernalia*, fertur omnia bona mulieris mobilia sint vtrique coniugi communia, vnde sequetur ut vxor nulla habeat paraphernalia de quibus pro arbitrio disponere possit. Quintimo ut obseruatum est ab Abulensi in *cap. 6. D. Marit. quest. 57.*

consuetudo quod vxor habeat bona paraphernalia apud paucas gentes est; sed communiter consuetum est, ut quidquid vxor habet quando assumitur in matrimonium sine sit proprie dos, siue non, computetur nomine dotis, & totum pertineat ad viri administrationem. Accipiendum est autè propositum documentum non de deducendo expensas necessarias ad eandem vxoris honestam sustentationem: quoniam eas maritus debet ratione dotis & obsequiorum, ut loco cit. monet Syl. Addens aliam esse rationem vxoris, quæ non dedit sufficientem dotem pro oneribus matrimonij: quia debet cooperari viro vsque ad supplementum onerum, & quod supererit de lucro, erit ipsius non mariti.

Sextum documentum est. Accipientes elemosynam ab eis, qui potestari aliterius subduntur, factam de eis in quibus subduntur non interueniente requisito talis Superioris consensu, teneri ad restitutionem Ratio est, quia non acquiescunt rei acceptæ dominium: quando quidem acceperunt illam ab eo, à quo alienari non potuit. Quod si accipientes nolint vel nequeant restituere, id tenentur facere qui dederit, nisi impotentia excuset ipsos: ut communiter excusant Religiosos & Seruos, cum illi monasterio, & hi domino acquiescant quidquid acquirunt: aut cerè nisi eius quod dederunt, habuerint proprietatem, sicut habet pupilli, & minores bonorum suorum: vxores, bonorum dotalium: & filij, bonorum aduentitiorum, seu donatorum illis ab alio quam à patre aut quam de bonis patris. In his enim casibus non distrahunt alienum; quamuis peccantur distrahendo sine consensu eorum, ad quos administratio spectabat.

Aduerte tamen quia pater bonorum aduentitiorum filij, & maritus bonorum dotalium vxoris atque communium seu acquiritorum durante matrimonio, non habet administrationem nudam: sicut habet tutor, aut curator bonorum pupilli vel minoris: *vsque acceptam in eorum tantum, non in suam utilitatem:* sed eam habet cum usufructu: restitui debere eorumdem bonorum fructus distractos, sine ipsius patris, aut mariti consensu: qui inde contra suam voluntatem, ut supponimus, illis fraudatur. De qua Petrus à Navar. in *lib. 3. de rescriptis. c. 69. & quinque sequentibus*, excipiens vnum casum in illo numero 69. quoad bona aduentitia: nempe cum donata fuerint filiis cum conditione, quod patri non acquiratur usufructus eorum; de talibus enim perinde ac de castrensibus, liberum est filio disponere.

Casus in quibus vxor potest elemosynam facere de bonis sibi communibus cum marito.

#### SECTIO POSTERIOR.

Septimum documentum est, præter casus, qui ex antecedentis intelligentur dari aliquos in quibus sine peccato, & obligatione ad restitutionem, vxores possunt elemosynam facere de bonis sibi cum marito communibus: de quibus casibus Petrus à Navar. in eodem cap. 1. late, à numero 93. ad 163.

Primus est, cum in eo vtiliter ageret rem viri; ut ad liberandum eum ab aliquo damno temporali: sicut ex *lib. 1. Regum. cap. 25.* fecit prudens Abigail, datis panibus, & certis alijs rebus Dauidi, ut auerteret eum à deleione domus mariti sui Nabal.

Secundus est, quem ratione à pari, aut etiam à fortiori Navar. in *Enchir. cap. 17. num. 154.* confirmat ex præcedentibus, & Petrus à Navar. in eodem cap. 1. num. 83. approbat citans Syluestrum & Gabrielem; cum maritus est malignus, seu crudelis, & sceleratus: illaque oculè largitur moderatas elemosynas, ut ab eo irâ Dei auerterat, & ut eum suâ diuinâ gratiâ illuminet, conuertatque ad penitentiam (dummodo caueat eiusdem mariti scandalum, seu ne inde ei det occasionem magis peccandi) etiam si credat, ut addit Syl. in *verbo Elemosyna, num. 8.* quod si ipse tale quid seiret, id isti displiceret.

Tertius casus est, quem pro Paludano contra Navar. propugnat Petrus à Navar. in eodem cap. 1. num. 86. & 87. quando maritus absens est, nec suo loco relinquit dispensatorem: quia nisi aliud per Superiorem fuerit statutum, deficiente viro, mulier est velut caput filiorum propriæque domus gubernatrix. Quate marito absente, cum aliud per ipsum, aut per Superiorem non statutum, illa suscipit gubernationem domus & tanquam gubernatrix, licet non ordinaria, potest elemosynas, sicut

sicut & alias non magni momenti dispensationes, facere; cui necius; nec ratio detur quæ aliud exigat.

Quartus casus est, quem idem auctores notant: Cum maritus fuerit amens: tunc enim dum marito tutor non assignatur à Iudice, vxor administrationem habet, eadem ratione qua in casu præcedente. Quod autem Paludan. & Sylu. volunt hunc casum extendendum esse ad fatuum, Petrus à Nauarr. in cit. num. 87. censet limitandum, vt non procedat nisi tanta sit fatuitas, vt arbitrio viri prudentis, maritus ipse egeat curatore. Nam ex eo tantum quod is stultè imprudenterque se gerat, non potest vxor eo ipso, quod prudentior sit, se in administrationem ingerere.

Quintus casus, quem habet etiam Petrus à Nauarr. in seq. num. 159. cum pater, aut mater vxoris aut filij prioris matrimonij egerit, etiam si non extremè. Tunc enim si via iuridica ad eorum subuentionem maritus adduci non potest sine scâdalo, aut ribus aliisque inconuenientibus, vxor ipsa potest illos sustentare ex suis bonis, vel dotalibus vel communibus: quia parentes & filij ius habent petendi alimenta à filia, & à matre: ideoque maritus administrationem habens talium bonorum tenetur ministrare illis necessaria: (computando etiam ea vxori tanquam alienata ex bonis eius) quod dum non præstat, quasi bellum iniuste ex sua parte gerit; vnde fit vt rationabiliter lædatur, auferendo occultè ab eo illud quod habet in sua potestate: cogo quidem sine inconuenienti non potest iudicè cogi cessare à tali iniustitia.

Ad id idem auctor alius citatus ibidem, numero. 160. vxorem posse pariter subuenire fratribus suis pauperibus, miserè atque afflicte, iuxta suum statum viuentibus. Id quod est satis rationi consentaneum: pro eoque facit lex Mutus ff. de iure dotium his verbis: Manente matrimonio non perditur vxori, ob has causas dos reddi potest, vt se suosque alat, vt fudum idoneum emat, vt in exilium vel in insulam relegato parenti præstet alimonia, aut vt egentem virum, fratrem, sororemue sustineat. Quæ lex cum sit iusta, & rationabilis, iniuste & irrationabiliter maritus impedit vxorem, illius beneficio vi. Vnde si hæc ab illo licentiam petens, prout debet, non potest eam obtinere, ne quidem per viam iustitiæ, non videtur à ratione alienum, quod ipsa occultè possit de suo, sine alterius detrimento, necessaria ministrare fratri, aut forori grauius indigenti, aut secundum rationem sui status, miserè egenti; nimirum quia vel laborare non potest, vel non decet vt laboret.

Sextus casus fundatur in eo quod idem Petrus à Nauarr. in præc. num. 115. & 116. tenet cum Couar. contra Nauarrum: vxorem seratis conditionibus iustæ compensationis (de quibus tam alij passim, quam ipse Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 112. 113. & 114.) posse tantumdem de bonis mariti occultè accipere, quantum ab illo læsa est ac damnificata in eo, quod bona ipsius, siue propria siue etiam communia, illicitè dissipauerit, aut alienauerit in magna quantitate, siue ipsius consensu. Nam vxor habet dominium & possessionem talium bonorum: vir autem solummodo administrationem: quo fit, vt ea alienare possit tantum ex causa rationabili & in ea quantitate quæ non præsumatur esse in fraudem vxoris: alioquin enim non esset administratio, sed dissipatio eorumdem bonorum.

Aduerte verò istud non esse extendendum ad casum in quo talis bonorum perditio esset ex contractu oneroso: vt exemptione, & venditione, vel conductione, aut similibus: quia talium respectu sicut lucra: ita & damna sunt vxori cum viro communia; Quod idem auctor in fine citati numeri 116. ex Corduba, & Sylu. annotans, insert non videt, quod de perditis à marito per ludum, liceat vxori facere prædictam compensationem: quoniam maritus per ludum vt perdere, sic & lucrari potest ex fortuna & industria.

Censuram saluo meliori iudicio addi posse casum septimum: scilicet, in quo vxori dedecus esset inter compares, si ipsa non faceret eleemosynas moderatas, sola tenacitate, vel alio inordinato mariti affectu eam prohibente. Tunc enim posse eas facere nescio marito, inde doceri videtur; quod ipsa non sit ancilla sed sociæ; nec sit expers administrationis familiaris, quamuis subiecta viro tanquam familiaris capiti; quodque non perinde ac filio, vir debeat ei sustentationem qualem i-

ple voluerit, sed decentem pro qualitate status & facultatum: in cuius sustentationis quasi pretium, dotem illi tradidit, & obsequium operasque suas obligas illi habet. Ad decentem autem sustentationem pertinent ea quæ mulieres illius conditionis, & status habere, & facere solent communiter. Quare irrationabiliter videtur vir eiusmodi sumptus vxori prohibere. Et ideo ipsa non videtur teneri tali prohibitioni acquiescere: nisi intercedat peculiaris aliqua ratio, cur potius ei, quam aliis suæ conditionis & status mediocribus mulieribus, similes sumptus interdici debeant; vt esset, si denirent ad maiorem paupertatem, quam fit aliorum sui status; aut plures haberent liberos: nam tunc æquitas exigit, vt & vtriusque sumptus temperentur, & vt mulier pareat viro non egredienti fines æquitatis. Immo in dubio parere quoque tenetur; neque ab illo plus exigere debet, quam quæ communia sunt mediocribus sui status.

Octauum documentum est. Religiosam, qui toti alicui religiose familiæ præest, & habet supremam illius administrationem, purè Abbatem, vel autoritate simili præditum in domo & familia religiosa: non modò posse facere eleemosynam; sed etiam teneri quidquid superest ultra necessitates monasterij, erogare in pias causas: iuxta illud Christi Luca 11. Quod superest date eleemosynam. In quam sententiam citatur cap. Quarta tua. 12. quæst. 7. cui Abulès. ad cap. 6. D. Matth. quæst. 60. rationem addit: quia ad Abbatem & eiusmodi alios pertinet considerare totale bonum monasterij, atque adeo iudicare quid in eo sit necessarium, & quid ita superabundans vt possit & debeat in eleemosynam dari; iuxta fidelium voluntatem à quibus largita sunt monasterio: quæ non fuit vt Monachi diuites efficerentur, cum profiteantur paupertatem: sed solum vt sustentarentur: ac quod eorum sustentationi superesset, in alios pauperes erogaretur: de quo quidem superabundante, non est iudicandum tantum secundum necessitates præsentis: sed etiam secundum eas quæ probabiliter possunt euenire, vt bene idem Abulensis ibid. ostendit.

CAPVT VIGESIMVMSECVDNDVM

De bonis de quibus fieri debet eleemosyna.

S V M M A R I V M.

- 284 Bonorum varia distinctio.
- 285 De bonis quæ possidentur in communi, quomodo possint fieri eleemosyna.
- 286 Ex bonis alienis extra necessitatem extremam, non potest eleemosyna licite fieri, sine domini consensu.
- 287 De bonis illicitè acquisitis quæ certis personis restituenda sunt, nec debet fieri eleemosyna.
- 288 quæ sint talia bona.
- 289 De eorum numero esse acquisita per iuramentum.
- 290 Quando sint item ea quæ Aduocati, Medici, & operantes manibus accipiunt supra iustum stipendium.
- 291 Quando acquisita per ludum non possint dari in eleemosynam.
- 292 Illicitè acquisita quæ nec retineri possunt, nec certis personis restituenda sunt, dari debent in eleemosynam.
- 293 De illicitè acquisitis quæ retineri possunt, eleemosyna potest fieri, dummodo visetur scandalum & quando de acquisitis per meretricium.
- 294 De acquisitis per artes & actiones prohibitas.

AD huius rei explicationem, distinguendum est de bonis quædam enim sunt licitè acquisita, & quædam illicitè: illorumque alia possidentur vt propria, quorum scilicet dominium soli possidenti competit: & alia vt communia, quorum videlicet dominium pluribus competit in communi. Horum autem, illicitè inquam acquisitorum, quædam certis personis restituenda sunt, nempe iis quæ læsæ sunt illicitè accipiendo: cuius generis bona censentur esse, quæ per furtum, rapinam, concussionem, iniustè incussum metum, fraudem, aliæque id genus media, sunt acquisita. Quædam verò licet certis personis restituenda non sint, licitè tamen retineri non possunt: cuiusmodi censentur quæ per simoniam aliudve peccatum quo pretium accipitur pro eo quod dandum fuit gratis, sunt acquisita. Quædam demum quæ quamuis turpiter acquisita sint, licitè tamen, vt

propria retineri possunt : qualia sunt quæ acquiruntur per meretricium, aut per contractum cum excommunicato, aut per negotiationem in tempore aut in loco sacro factam, & eiusmodi alia ; quæ modo quidem illicito acquirantur, non tamen impediunt liberam dominij translationem : ita ut ea efficiantur possidentis, isque possit illa retinere tanquam propria. Quæ cum ita sint, proposita quæstio his propositionibus explicatur.

Prima est: Ex propriis bonis licite acquisitis, non tantum posse, sed etiam debere fieri elemosynam : dummodo is qui talium bonorum possessionem habet, habeat simul eorum administrationem. Hæc satis patet ex dictis in præcedenti capite.

285. Secunda est: Ex bonis quæ ita possidentur in communi, ut illorum certa portio sit unicuique debita, nec quidquam illius ad communem massam pertineat, quin distribuatur inter singulos, non posse licite fieri elemosynam, nisi de consensu expresso, aut rationabiliter præsumpto singulorum, quorum interest. Hæc probatur: tum per cap. Cum omnes de constitutionibus iuncta glossa: tum ratione: quia iniuria fieret aliquibus, sine quorum consensu alienarentur, certius habentibus ad aliquam portionem talium bonorum. Hinc, ut Medina notat in *Cod. de elemosyna, quest. 4. versus finem*, locis aliqua in communi possidentibus, non potest vnus sine aliorum consensu saltem rationabiliter præsumpto, elemosynam ex illis facere. Neque maior pars Capituli ex bonis quæ prædicto modo possidentur, aliquid alienare potest, etiam erogando in elemosynam, nisi omnium quorum interest accedat consensus. Quod enim ad omnes attingit ab omnibus approbati debet, ut habet regula 29. iuris in sexto. Sic ergo, inquit Medina, Capitulum extra casum necessitatis, de bonis communibus iure distribuendis inter Canonicos & Portionarios, elemosynam facere nequit sine eorum consensu expresso, aut rationabiliter præsumpto : nisi consuetudo contraria legitime præscripta, ius eidem Capitulo tradiderit ad talia bona sine consensu. Portionariorum dispensanda.

286. Tertia propositio est: Extra necessitatem extremam, aut sine domini consensu expresso aut rationabiliter præsumpto, non debere fieri elemosynam ex bonis alienis. De hac inter omnes constat. Tum quia elemosyna præcipitur fieri ex propriis *Esai. 58. Frange esurienti panem tuum; idque natura eius postulat, cum sit donatio, qua in alium gratuito transfertur rei dominium: quod non habetur in re aliena: de qua proinde elemosyna fieri non potest. Confirmatur, quia elemosyna facta ex alieno non placet Deo: ut satis indicat Sapiens cum *Proverb. 5. præcipit, Honora Dominum de tua substantia. Immo ei displicere patet: quia est vlturatio rei alienæ inuito Domino; & per consequens peccatum contra septimum præceptum decalogi: id est quæ illam Deus auerfat: sicut & sacrificium illud, de quod dicitur *Ecclesiastici 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Itaque, ut dicitur in cap. Elemosyna, 14. quest. 5. Elemosyna oculis Redemptoris nostri illa placet, quæ non ex illicitis, & iniquitate congeritur; sed de rebus concessis bene acquisitis, impenditur. Accedit quod violatio charitatis per elemosynam omissionem, tribuatur non quidem cui libet, sed habenti substantiam huius mundi, 1. *Ioan. 3. per quod indicatur elemosynam faciendam esse de bonis quæ quisque habet, non de alienis. Procedit autem hæc propositio quantumcumque is de cuius bonis accipitur, elemosynam facere teneretur; & negligeret facere ut bene docet Abulens. ad cap. 6. D. Math. quest. 49. Non enim est cuiusque adgere alterum ad id, ad quod teneretur. Vnde ex cap. Non est 1. quest. 11. Qui hac intentione mala accipit, ut bene dispenderit, grauatior potius quam inuenitur. & ex cap. forte 14. quest. 5. etiam totum quod abstulit tribuat pauperibus, addit potius peccatum, quam minuat.****

287. Quarta propositio est, de bonis illicitè acquisitis, quæ certis personis, iuxta cap. Sives aliena 14. quest. 6. restituenda sunt, non esse faciendam elemosynam. Hæc, quam D. Thomas habet 2. 2. quest. 32. art. 7. manifesta est ex præcedenti; receptaque communiter nemine contradicente, ut notat Abulensis in præced. quest. 46. Et confirmatur: quia illud quod quis restituere tenetur non est suum, sed eius cui restituendum est. Nec

obstat illud *Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Non enim sensus est, de iniquè acquisitis faciendâ esse elemosynam: sed de diuitiis, quæ licet iusto titulo possideantur, tamen iniquitatis arma esse possunt, distributæque sunt inæqualiter: ita ut vno egente alius superabundet. Cuius loci alias interpretationes D. Thomas, & post eum Abulens. adfert: ille in eod. art. 7. ad 1. & hic in præced. quest. 36. Quænam autem sint illa, quæ illicitè acquisita certis personis restituenda sunt, docebitur in sequenti libro 1. cum agatur de eo cui faciendâ est restitutio, cuius obligatio orta est ex iniusta acceptione.*

Hic solum monendum est ex eodem D. Thomâ, quod illa sint per furtum, aut per rapinam, aut per vsuram acquisita: atque ex his quæ sunt duorum priorum generum posse, prout notat Abulens. in sequen. quest. 48. fieri elemosynam, si sint pecunie; dummodo alia æquales restituantur: non autem si sint res alia; ut animalia, vestes, libri aut similia: Cuius differentie ratio est ex ipso D. Thomâ; quod in pecunia nihil spectetur aliud quam valor; qui ut supponimus idem est in re quæ subrepta fuit, & in ea quæ restituitur. In aliis vero rebus spectatur quantum placeret Domino, quæ oblatæ sunt, & quantum caperet ex eis voluptatem: quod nequit pretio compensari, nisi ex eiusdem domini æstimatione, atque consensu.

De tertio genere autem: hoc est de acquisitis per vsuram, late quidem Aragonius differit in expositione D. Thomæ: sed satis est notare, non posse magis de illis fieri elemosynam, quam de acquisitis per furtum, vel rapinam, ex cap. Nolite 14. quest. 5. & ex eo quod secundum sententiam probabiliorum, quam Caiet. bene confirmat in tomo 2. opus. tract. 8. quest. 1. in vsurarium non transferatur dominium eorum quæ solvuntur, quamuis transferatur possessio: sicut nec abicitur dominium mercium, cum ob tempestatem ex abicitur in mare; sed solum possessio: vnde si maneant salua, non sunt primo occupantis, sed primi domini.

Idem dicendum est de datis Iudici, quasi redimendæ vexationis causa, ut proferret iustam sententiam, vel ne proferret iniustam: aut testi, ne taceret veritatem, vel ne diceret falsum, ex Abulens. ad cap. 6. D. Math. quest. 44. Idem quoque de his quæ Aduocati aut Medici aut manibus operantes accipiunt supra stipendium determinatum ipsis lege, vel consuetudine, vel conventionione cum parte: iuxta eundem in sequen. quest. 47. quia rationem habent furti: vt prope per concussionem vel fraudem extorta, ideo quæ restituenda dantur.

De acquisitis per ludum D. Thomas in cit. art. 7. ad 2. statuit non posse in elemosynam dari ab eo qui lucratus est ludendo cum eo, qui rem suam non potuit alienare: ut cum minore, furioso, vel alio huiusmodi; aut cum eo quem ex cupiditate lucrandi traxit ad ludum. Ratio est quia tenetur talia restituere tanquam acquisita per acceptionem iniustam; ab eo qui dominium transferre non potuit, aut à ratione alienus fuit. Quam doctrinam habet quoque Abulensis in sequen. quest. 56. in quatuor præcedentibus latius differens de ludo; ut & Bañes in interpretatione D. Thomæ. Sed de eo commodius in sequenti libro decimo numero 384. & aliquot sequentibus.

Quinta propositio est de bonis illicitè acquisitis, quæ nec certis personis restituenda sunt nec retineri possunt, elemosynam esse faciendam. Hæc quoque est D. Thomæ in eod. art. 7. & cotamuniter recepta ut notat Gregor. a Valent. 2. 2. dispus. 3. quest. 9. puncto 5. sub finem. Probatur vero, quia eius generis illa sunt quæ tam dantur, quam accipiuntur contra iustitiam diuinæ legis: quæ cum nec recipiens, tanquam iniquè parca, retinere debeat, nec restituenda sint danti, qui eorum dominum à se in alium transfudit: neque ex suppositione, debeantur alicui certæ tertie personæ lætæ: sicut pro Deo, cuius honor læsus est, eroganda sunt in pauperes, siue in pias causas. In exemplum istius generis bonorum D. Thomas adfert acquisita per simoniam, & similia; qualia censentur data & accepta ad ferendam iniustam sententiam, aut ad dicendum falsum testimonium. De quibus in interpretatione D. Thomæ satis fuit Aragonius, & ante eum Abulensis quest. 39. & 44. sicut & de eo quod quaritur, Num præcepum sit an solummodo consilium talia in elemosynam erogare, ante condemnationem Iudicis: de quo etiam in sua interpretatione Bañes.

Bañes. In his verò hic non habebimus, quia satis nota sicut ex dicendis in sequenti lib. 10. num. 175. & aliquot sequenti- bus.

Sexta propositio est de bonis illicitè acquisitis quæ reti- neri possunt, eleemosynam fieri posse. Hæc adhuc est. D. Thomæ ibidem. & probatur quia talium habetur dominus. Ergo de illis tanquam de propriis bonis potest eleemosyna fieri. Nisi, ut D. Thomas addit, scandalum inde nascatur; pro- pter quod, & propter divinorum reuerentiam, prohibita est meretricis oblatio publica per illud Deut. 23. Non ceteres mercedem prostituti in domo domini. Itaque lux a propo- sitionem hanc, de eo quod meretrix in moderatam merce- dem suæ prostitutionis acceperit, eleemosynam facere po- test: nisi, quod latus explicat Abulens. ad item cap. 6. quest. 37. sub alterius potestate constituta, suorum bonorum administra- tionem non habeat, vel acceperit ab eo qui alienare non po- tuit. In illo enim casu donare, & in hoc retinere non potest acceptum, per dicta in præced. capite. Quibus adde & illud quod ipsa per blanditias & fraudem extorserit: quia cum tale censeri non possit liberaliter donatum, ea non fecit illud suum.

Similiter ex eodem Abulensi in sequen. quest. 38. potest histrio vel mimus de acquisitis per suam artem facere eleemosynā. Itemque leno de acquisitis per lenocinium ex eod. in quest. 40. ac etiam ex sequen. qu. 41. ac fortilegus, de acquisitis per for- tilegium, nequam annam, & alias artes prohibitas. Ratio e- nim eadem est omnium: nempe quod quamvis actus per quos lucrum fecerunt, prohibiti sunt iure; non tamen ipsi sū lucrum est prohibuitur: ita ut possint illud retinere tanquam iustum, seu nullo iure de se prohibuitur atque a deo eleemo- synam ex eo facere. Eadem ratione in sequen. quest. 43. id ipsum de his addit, quibus sine ratione sui iustis, siue ratione tem- poris, non licebat venari: nempe, quod de acquisitis per ta- lem venationem possint facere eleemosynam, sicut nullius certi domini fuerint, sed primo capientis. Id quod de cæteris pari ratione dici potest quoties modus quidem acquirendi malus est ex aliqua circumstantia: acquisitio tamen ipsa non est iniusta, seu cum proximi læsione, quæ impedit dominij acquisitionem.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

De his quibus faciendā est eleemosyna: & debito mo- do eam faciendā.

SVM MARI VM.

- 295 Facienda est eleemosyna omnibus qui ea indigent, etiam peccato- ribus, & inimicis, tum nostris, tum fidei.
- 296 Quatuor casus in quibus potest quis non teneri eleemosynam fa- cere indigenti.
- 297 Alienigenis quoque faciendā est eleemosyna.
- 298 Conditiones cum quibus fieri debet.
- 299 Intentio cum qua fieri debet.
- 300 Ordo in ea seruandus.
- 301 Nouem, ratione quorum vnus potest alteri præferri in eroganda eleemosyna, ad duo reuocata.
- 302 Quis cui in eleemosyna eroganda præferendus sit in particulari statuere est difficile.
- 303 Inter necessitates, publica priuata; & inter priuatas, extrema graui; & hæc communi præponderare debet, cum ea de re agi- tur.
- 304 Distributor eleemosynarum alienarum potest seipsum aliis præfer- re, si similiter egerit.
- 305 Iustus minus indigens, peccatori magis indigenti præferendus est.
- 306 Aliquando bonus præferri potest consanguineo.
- 307 Pater, mater, vxor & filius in extrema necessitate præferri de- bent, et qui a morte liberantur.
- 308 Quando & frater.
- 309 Quando liceat in extrema necessitate alium nobis præferre.
- 310 Parentes in extrema necessitate præferri debent filiis, non item ex- tra eam.
- 311 Pater debet præferri matri.
- 312 Parentes sunt vxori præferendi in extrema necessitate, non item extra eam.
- 313 Vxor præferenda est filio.

314 Pater corporalis præferendus est patri spirituali in eroganda ele- mosyna.

315 Duplex genus debiti, de quo vtroque potest fieri eleemosyna extre- mē indigenti.

316 Quando parentes, vxor, & filij extreme indigentes, forte etiam fratres præferri possunt creditori presso pari necessitate.

317 Quando præferendi coniunctiores sanguine, coniunctioribus spiri- tu vel contra.

318 Ratio qua debet eleemosyna esse larga ex parte dantis.

319 Ratio qua ex parte recipientis.

Cum dicat Dominus noster Luc. 6. Omni petenti te tri- bue, dubium non est, ex obligatione proposita in præ- ced. cap. 20. faciendam esse eleemosynam omnibus proxi- mis qui illa indigent, & quatenus indigent.

Peccatoribus etiam, & inimicis, item que extraneis faciendam esse eleemosynam.

SECTIO I.

Neque peccatorum faciendam esse exceptionem tan- quam inimicorum Dei, patet ex eo, quod Matth. 5. in- bebimur imitatores esse Patris nostri cælestis, qui solem iustum oriiri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniu- stos. Nec item inimicorum nostrorum, tanquam indignorum nostrā ope: quia præcipit Apost. ad Rom. 12. Si esuricit ini- micus tuus ciba illum, si sitierit potum da illi. Si obicitas il- lud Ecclesiastici 12. Da misericordiam, & non suscipias peccato- rem. Respondet D. Thomas. 2. 2. quest. 32. art. 9. ad 1. id intelli- gendum esse de peccatore quatenus peccator est; qua ratione ne quidem amandus est; sed quatenus proximus iuxta illud in cap. Odio, distinct. 86. Odio habeantur peccata, non homines. Aut certe intelligendum est de casu, in quo probabiliter cō- stat futurum esse, ut qui eleemosyna egent, si ea fiat non resi- piscant à suis peccatis. Sicut enim sub mortali tenemur tales corripere, quando spes est correctionis; sic eadem de cau- ā tenemur illis eleemosynam subtrahere: iuxta illud ex D. Au- gust. relatum in cap. Non omnis 5. quest. 5. Vilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitia non negligat, quam esurienti panis frangatur, ut iniustitiæ seductus acquiescat. De qua re Medina in Cod. de eleemosyna quest. 7 & Abulens. ad cap. 6. D. Matth. quest. 62. & 64. Vbi ad tertium, monet de re publica ho- stibus, & inimicis fidelis, idem esse dicendum ac de aliis pecca- toribus: nempe quod illis in necessitate subueniri debeat, quantum ad hoc, ut non pereant; non autem, quantum ad hoc, ut in aliquo confortentur ad impugnandum vel rem- pub. vel sanctam fidem.

Nota autem cum Cardinali Tolero in tract. de peccatis capi- tal. cap. 31. posse aliquem in quatuor casibus non teneri eleemosynam erogare indigenti.

Primus est, cum is laborare potest, & comparare sibi vi- ctum, vultque vacare, & torpere otio, nisi esset talis persona, cui multum indecens, adeoque ignominiosum esset: seruire aliis, aut manibus laborare. Secundus est, cum ex acceptione eleemosynæ occasio nem caperet peccandi, seu perseuerandi in peccato. Tertius est, cum per iustam sententiam Iudicis cōdemnatus esset fame petire. Quartus, cum oppugnetur iusto bello, & cogere tur fame pressus se tradere: in quo casu grate peccatum esset cibum ei præbere, sicut & in secundo, non item in duobus aliis.

Si quæras an alienigenis faciendā sit eleemosyna sicut in- digentis: respondetur affirmatiuè, quia & tales verè sunt proxi- mi ex charitate diligendi: & vnicuique mandauit Deus de proximo suo. ex capite 17. Ecclesiastici. Confirmaturque per illud quod Tobias filio inculcat in capite 4. Ex substan- tia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vilo paupere. Vnde Medina in cit. quest. 7. §. Hæc deberet, damnat reip. rectores, statuentes ut omnes pauperes extranei seu a- liunde venientes, à suis populis expellantur; nec nisi per vnu aut alterum diem, in populo commorari permittantur: hoc enim non est præceptum de eleemosyna datum implere sufficienter: quandoquidem necessitate proximi durante, durat & obligatio subueniendi illi. Videant ergo quam grauitè peccent qui non modo eam subuentionem negant: sed etiam miseris baculis à se abire compellunt. Quan- quam tamen, ut idem ibidem monet, quando populus pau- peres suos, & extraneos simul alere non possit, tunc cæteris

paribus potius naturalibus quam extraneis esset subveniendum. Quae est etiam doctrina Alphonfi à Castro in lib. 1. de lege penali cap. 5. documento 1. in explicatione tertii defectus propter quem lex potest fieri iniusta. Cui non obstat, quod extranei non sint factis noti: quia nõ requiritur ut examinemus quales sint qui eleemofynam petunt, cum indifferenter omnibus quantum possumus, subvenire debeamus, ut Medina loco cit. §. Sunt etiam, probata i quot Patrum auctoritatibus; & latius in sequenti qu. 67. tractat Abulen. Textus autem est expressus in cap. Quiescamus distinct. 42 ubi hæc ratio tangitur, quod faciendo tale examen, aliquando volentes excludere malos pauperes, excludemus bonos; sicut si Abraham & Loth illud fecissent, fortasse non recepissent Angelos hospitio. Neque periculi est amissionis fructus, cuiusque eleemofynam demus ad ipsius sustentationem: quia Deus non retribuet mercedem, secundum differentiam eorum quibus ea datur; sed secundum differentiam voluntatis eorum à quibus propter Christum datur aliquid tanquam pauperi eiusdem Christi. Videri potest Abulen. Quod si non possumus subvenire omnibus, qui præferendi sunt intelligemus ex paulo post dicendis.

Restat hic ostendendum, faciendam esse eleemofynam, non modo iis pauperibus qui inopiam involuntariam patiuntur, sed etiam iis qui voluntariam paupertatem sunt complexi iuxta Christi consilium Matth. 19. Si vis perfectus esse vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Sed nobis satis est ex communi Ecclesiae usu, abunde patere reverentiam, cuius contrarium docens Ioan. Viclef damnatus est in concil. Constantiensi sess. 8. Videri possunt D. Thomas opusc. 19. cap. 7. Med. qu. vltima de eleemofyna, Bellarm. rom. 1. in controversia de membris militaris Ecclesiae lib. 2. cap. 42. & sequentibus Greg. à Valent. 2. 2. disput. 10. quæst. 5. nam in ea re immorari non est huius nostri institui. Porro ut debito modo fiat eleemofyna, quaedam sunt attendenda; servandaque ex parte ipsius eleemofynæ, quaedam ex parte illius cui fit, & quaedam ex parte bonorum ex quibus fit.

Attendenda & servanda ex parte eleemofynæ, ut ea debite fiat.

SECTIO II.

298.

**A**tque attendenda & servanda ex parte ipsius eleemofynæ sunt primò, ut fiat ex charitate seu propter Deum; alioqui enim meritoria non esset: dicente Apostolo in prioro ad Corinth. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Secundò ut fiat promptè, non autem extorqueatur importunitis precibus, nec differatur de die in diem: iuxta illud Proverb. 3. Ne dicas amico tuo vade & revertere, cras enim dabo tibi, cum statim possis dare. Cuius promptitudinis præclarum exemplum habetur in Abraham Genes. 18. rogante hospites ut ad se diuertent, nec expectante ut ab illis rogareretur. Itemque in Loth idem faciente Gen. 19. & etiam, in Tobia, per singulos dies pergentem ad pauperes quibus eleemofynas faceret ex t. 1. historie ipsius.

Tertiò ut fiat hilariter, iuxta illud posterioria ad Corinth. 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilaris enim datorem diligit Deus. Quartò ut fiat humiliter, existimando se non non dare, sed accipere beneficium: cum dicat Dominus Luca 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Nam ut ait D. Gregor. in lib. 21. Moral. cap. 14. Si eorum amicitias æterna tabernacula acquirimus; dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis munera potius offerimus, quam egenis dona largiamur. Quintò ut fiat abundanter, pro modo propriarum facultatum; iuxta illud Tob. 4. Quomodo potueris ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Et ceterè, ut notatum est à D. Chryso. hom. 37. ad populum Antiocheni. Quid dicit Deo, Misere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, debet pauperum misereri secundum magnam eleemofynam suam. Quæ magnitudo spectari potest (ut notat Bellarm. in controversia de bonis operibus lib. 3. cap. 5.) tum ea magnitudine rei, quæ datur, tum ex promptitudine voluntatis ad dandum, tum demum ex dignitate personæ quæ eleemofynam facit.

Nam cæteris paribus, semper maior eleemofyna censetur esse, & Deo gratior, quo plura, vel pretiosiora dantur: quia donum ipsum absolute maius est. Itemque cæteris paribus, quo maiore voluntatis promptitudine, & fervore datur; quandoquidem ea promptitudo includit voluntatem plura dadi si suppetere. Ac demum cæteris quoque paribus, eleemofyna Deo gratior est, quo ille à quo proficitur, sanctior est, & Deo ipsi gratior, iuxta illud quod ex Genesi cap. 4. habetur. Deum ad Abel respexisse primum, deinde ad munera eius. Quod sititia hæc inter se conferantur, primum locum (ut notat quoque Bellarm.) obtinebit promptitudo voluntatis: secundum sanctitas personæ: & postremum, rerum quæ donantur magnitudo vel pretium. Pro quo facit quod Dominus Luca 21. eleemofynam duorum minutorum viduæ pauperis, anteposuerit ingentibus donariis divitum: eo quod scilicet, illa dans totum victum suum, parata erat si potuisset, plura & maiora donare; quam divites donarint, superans cæteros in eo voluntatis actuali fervore, quibus inferior fuit, in doni magnitudine.

Attendenda & servanda ex parte facientis eleemofynam.

SECTIO III.

**N**otat Abulen. ad cap. 6. D. Matth. quæst. 68. ex parte facientis eleemofynam tria attendenda, servandaque esse; nempe iustam intentionem, & ordinem. Iustum autem, seu iustum cum quis eleemofynam de eo dat, cuius libet amare habet administrationem, iuxta antedicta in cap. 21. De intentione verò servanda in eleemofyna eroganda, trademus aliquot documenta sub finem huius capituli.

Nunc norandum est solum principale intentionem facientis eleemofynam, debere esse Dei gloriam. Non enim mercedem referere si suam gloriam principaliter intendat, ut patet ex cap. 6. D. Matth.; aut si remunerationem refundendam à recipiente, principaliter proposuã habeat. Hinc Dominus Luca 16. monet ad conuitium invitandos esse, non illos qui reinvitare possunt, ita ut fiat retributio: sed illos qui non habent retribuere, & retribuatur in retributione iustorum; aut denique si voluptatis suæ tantum gratiã illam faciat, quia non laude & præmio, sed vituperio & poena esset digna, inquam relata ad malum aut saltem indebitum finem: qualis, ex eodem Abulen. in præced. quæst. 67. sub finem: ad idque facit cap. Donare distinct. 86. censenda est, quæ histroni, aut cytharædo, aut alicui cæterorum, quorum artes ad solam oblectationem comparatæ sunt, datur ut suis artibus vantantur: non ad Dei gloriam, aut ad aliquam necessitatem: sed ad solam voluptatem. Ratio horum est, quod ad meritum requiritur ut opus fiat ex charitate; quæ nihil plus, nec tantum amatur quam Deus. Quod si minus principaliter ex eleemofyna queratur aliquid temporale commodum licitum, nõ perdetur quidem omnino meritum illius, minuetur tamen: quia intento erit minus sincera. Porro censetur eleemofyna ob temporale commodum principaliter fieri, quando nec propter Deum ea fieret, si illud non expectaretur: fieri verò minus principaliter ob illud; quando etiam si ipsum non speraretur, nihilominus eleemofyna ipsa daretur propter Deum.

De ordine autem attendendo & servando à faciente eleemofynam, notandum est: illum esse quem exigit charitas, cuius inseparabilis comes est eleemofyna iuxta illud 1. Ioan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clausit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? Jam verò, ut ex Aristot. 9. Ethic. cap. 2. D. Thomas habet 2. 2. quæst. 31. art. 3. ad 3. beneque declarat Abulen. in seq. quæst. 69. quis sit ordo ille quem in eroganda eleemofyna servari charitas exigit, explicari non potest univèrsali regula; sed oportet ex inspectione circumstantiarum de eo decernenda committere prudentis arbitrio: cui ad id sequentia documenta poterunt vsui esse.

Primum est, cæteris paribus in eleemofyna largienda præferendos esse meliores. Ratio est quia cum sint magis digni vitæ, subveniendum potius est illorum vitæ, nec ipsi de bonitate debent reportare incommodum, ut nec mali de sua malitia commodum. Secundum est: cæteris paribus, constitutos in maiori necessitate præferendos esse. Ratio est quia instituitur eleemofyna ad subveniendum necessitati indigentis; ideoque de se exigit ut potius fiat magis, quam minus indigenti.

digent. Tertium est, ceteris paribus preferendos esse eos à quibus salus communis, siue corporalis siue spiritalis maxime pender. Ratio est, quia bonum commune anteponendum est bono particulari: tanquam salus totius, saluti partis: prout bene explicat D. Thom. 2. 2. *quest. 26. art. 3.* Quartum est, ceteris paribus preferendos esse coniunctiores; eoque magis quo plures coniunctiones fuerint: sanguinis, vel affinitatis; societas vel instituti vite: aut quo maius aut citius in eodem genere fuerit coniunctionis vinculum. Ratio est quod plus ex illo boni gradum, quam ex igne calefaciente, & ex alijs passim. Quintum est, illum ceteris paribus preferendum esse, qui ius habet ad rem, quam in elemosynam erogatur. Ratio est, quia obligatio quae nascitur ex iustitia, maior est eâ, quae ex liberalitate: unde licet aliquando maior affectus debeat esse ad eum cui de iure sumus ob accepta beneficia, quam ad eum cui aliquid ex iustitia debemus eo quod plus ex illo boni gradum, quam ex hoc in nos redundauerit. teneatur tamen, magis huic debitum ex iustitia, quam illi debitum ex gratitudine, persoluere. Sextum est, beneficentem ceteris paribus, esse alijs preferendum; quoniam ei debitores sumus, & in beneficiendo magis est attendendum, ut reddatur quod debitum est, quam ut gratis impendatur, quod debitum non est.

His ad de, *ex glossa ad cap. Non satis distinct. 86. verbo Liberalitas:* nouem numerati, ratione quorum vnus potest preferri alteri in erogatione elemosynae. Primum est fides, Secundum causa, nempe captiuitas. Tertium locus. Quartum tempus. Quintum modus. Sextum necessitudo. Septimum gratia. Octauum debilitas. Nonum nobilitas. Quae Abulens tractat ad cap. 6. D. Thom. *quest. 68. & in sequen. quest. 69.* reuocat ad duo: nempe ad bonum, & ad necessarium. Ad bonum quidem, fidem, & nobilitatem, quia melius est dare elemosynam fidei quam infideli, & infideli iusto quam iniusto: iuxta illud *ad Gal. 6.* Dum tempus habemus operemur bonum, maxime ad domos fidei: & illud *in cr. cap. Non satis. cap. Non satis.* Qui praesertim egere erubescit. Ad necessarium autem, reuocat septem reliqua: quia, inquit, magis necessarium est dare debili, aut seni, aut consanguineo, aut existenti in periculoso loco, aut in tempore afflictionis, aut detento in captiuitate, quam ceteris qui talia non patiuntur. Adde & pluribus potius modicum, quam paucis multum: is enim est modus praescriptus in cap. Dominus, eadem distinctio. 86.

Attendenda & seruanda ex parte eius, cui sit elemosyna.

SECTIO IV.

**D**ifficultas in modo faciendi elemosynam ex parte illius cui fieri debet, tunc maxime eoungit, cum plures simul concurrant indigentes quibus omnibus simul satisfieri nequit, nec satis apparet quis cui preferendus sit. Quid ergo attendendum seruandumque sit, declarare oportet quoad potest: nec enim potest plene, cum parum sit vniersè dicere tale quid, esse tum necessitatem, tum bonitatem, tum etiam coniunctionem: quando quidem in talibus etiam, tanta contingit varietas tam graduum, quam magnitudinis & paritatis; ut omnia in eis metiri, & exactè indicare, ex quibus vnus alteri sit in elemosyna preferendus, non modo difficile sit, sed etiam penè impossibile. Quis enim explicet & expendat sufficienter, quod & quibus gradibus possit vnus alio egentior esse, aut melior, aut coniunctior; aut egentior quidem non tamen melior, aut coniunctior: adeo ut ex Medina in *Cod. de elemosyna quest. 7. sub finem:* in particularibus casibus cum res non est patens, pendere oportet: ex intertiori vnctione, seu diuina inspiratione: quae, si ad sint bona fides ac sana conscientia, non deerit quatenibus, ut par est, maiorem Dei gloriam: praetertim si exquantur quae suarum sunt partium, siue in inquirendo prudentiorum consilio, cum se sibi non sufficere sentierint: siue in ponderandis, &

quasi commensurandis inter se trium praedictorum (hoc est, necessitatis, bonitatis, & coniunctionis) varijs gradibus magnitudinis, aut paritatis concurrentibus; ut in quo ex indigentibus, maioris sint ponderis prudenter iudicent, ad iudicium partim documentis antea traditis, partim sequentibus: quorum quaedam certa sunt, & quaedam dubia.

Primum certum est, quod cum necessitas possit esse vel publica vel priuata, publicam praeponderare priuatae cuique, etiam extremae tam propriae: quam alienae; & tam bonorum quam malorum, & tam coniunctorum quam alienorum. Vt enim pars totius, sic priuata publico subferuire debet. Et hac ratione procedit quod D. Thomas 2. 2. *quest. 31. art. 3. ad 2. ait* iuuandum esse potius commilitonem extraneum, quam cognatum aduersarium.

Secundum est, de quo Abulensis ad cap. 6. D. Thom. *quest. 69.* Inter priuatas necessitates, extremae praeponderare, quantumcumque aliter inueniantur esse cum maiore bonitate, & maiore coniunctione; quoniam talis necessitas maxime omnium reddit hominem commiseratione dignum. Itaque si extraneus peccator grauissimus extremae egeat preferendus est, etiam patri viro sancto non egenti extremae. Aduerte verò ex eodem Abulens. *ibid.* duobus existentibus in extrema necessitate, si vnus necessitas maior sit eo quod ipse propinquior sit morti, cui subueniendum sit statim: & aliter possit adhuc expectare, aut possit ei subueniri alio modo, preferendum esse positum in praesentiori periculo: alias autem praepreferendum esse meliorem, aut coniunctiorem.

Tertium est, grauius quoque necessitatem praeponderare communi necessitati, hoc maxime nomine, quod inter omnes constat, esse de precepto illi subueniendum: non constet autem de necessitate communi: ut patet ex iis quae in cap. 20. dicta sunt de duobus primis controuersis. Aduerte autem ex Abulens. *in ead. quest. 69.* quando vna grauis necessitas grauior est altera, non esse quem praepreferendum eo ipso, quod grauiorem patiat, quia ex effluuio bonitatis, aut coniunctionis in altero, potest prudentis arbitrio praeponderare tali excessui. Neque enim si extraneus aliquanto plus egeat quam pater, neuterque sit in extrema necessitate, debeo illi subuenire potius, quam patri si non possim vtrique.

Quartum est, eum qui necessitatem solum communem patitur, praepreferendum esse nullam patienti, etiam bono & coniuncto, ut intelligitur ex eo, quod Dominus *Luc. 14.* facientem prandium, aut cenam monet non vocare amicos, aut fratres, aut cognatos, aut vicinos diuites, sed pauperes.

Quintum est, distributorem elemosynarum alienarum, posse seipsum, aut suos praeferre, si perinde egeat ac alij, quibus alioque erogarentur. Hoc habetur ex D. Thom. 2. 2. *quest. 32. art. 9. ad 2.* Et probatur quia officium dispensatoris non facit ipsum deterioris conditionis, quam esset sine eo. Vnde non sunt damnandi Ecclesiastici, qui in elemosynis quas pauperibus debent ex suis redditibus facere, praepferunt alijs suos pari necessitate pressos, nec minus dignos. Pro quo facit cap. Est praebenda distinctio. 86.

Primum dubium est, An peccatori magis indigenti sit potius danda elemosyna, quam iusto minus indigenti. Ac pro parte affirmatiua facti, quod elemosyna firmiter misericordiae, cuius motiuum est non bonitas, sed indigentia proximi. Negans autem videtur probabilior; quia licet in magis indigente sit maior misericordiae materia, tamen in magis iusto, maior est materia charitatis, quae in amore consistens, habet bonum pro obiecto. Iam verò Christianus in agendo rationem potissimum habet charitatis: ex qua bonitas, & valor actus magis crescit, quam ex qua cumque alia virtute. Immo ex ea, reliquae virtutes habent, ut aliquid apud Deum valeant.

Secundum dubium est, An in elemosyna eroganda aliquando bonitas praeponderet coniunctioni. Ac pro parte negativa facit quod D. Thomas 2. 2. *questione 26. articulo 8. docet*, consanguineos ceteris preferendos esse in iis quae pertinent ad naturam, seu ad naturae sustentationem & conseruationem. Sed affirmans tenenda est, prout ad eum D. Thom. locum tenent Bannes & Aragò. Itemque Gregor. à Valé. *diffus. 3. quest. 4. puncto 5. corol. 5.* quia siue bonitas dicatur quae quis in se bonus, & ex consequenti, amabilis est: siue qua no-



bis bonus, seu benefactor noster est; inueniri potest ratio ob quam prudentis arbitrio extraneus præferendus erit conſanguineo: vt cum hic fuerit tantum in tertio aut quarto gradu: & ille ob ſummam probitatem fuerit amiſſimus, aut nos beneficiis ſuis deninxit. Dicitur verò D. Thomæ intelligendum eſt cæteris paribus. Qua ratione nihil obſtat quin filio ſi ſit moribus perditis, extraneus optimè moratus, aut de nobis optimè meritus, præferatur.

307.

Tertium dubium eſt, An is qui nos à morte liberauit præferendus ſit in extrema neceſſitate quibuſcumque noſtris conſanguineis. Pro cuius parte affirmatiua facit, quòd maximi ponderis ſit charitas & fortitudo, qua liberator vitam ſuam liberitatem in noſtram deſenſionem expoſuit. Sed congruenter doctrinæ D. Thomæ 2.2. *queſt.* 31. *art.* 3. negans tenenda videtur, ſaltem quoad parentes, filios & vxorem. Ex ea enim liberatione tantum conſurgit obligatio retributionis ex gratitudine, propter beneficium liberaliter collatum: ex coniunctione verò cum patre aut filio, vel vxore conſurgit obligatio quaſi ex iuſtitia. Nec enim ſolum ex charitate, & gratitudine, ſed etiam ex pietate quaſi iuſtitie rationem quandam habet, tenetur filius patri ſuccurrere, & pater filium educare & erudire, eique in neceſſitate ſubuenire. Similiter ratione coniunctionis, vir vxori non ſolum ex liberalitate, & gratitudine, aut vxor viro: ſed etiam quaſi ex iuſtitia debet deſenſionem, & ſubſidium in neceſſitate. Cum ergo obligatio ex iuſtitia præponderet obligationi ex gratitudine: in neceſſitate extrema præferendi erunt, tum pater & mater, tum etiam filius & vxor, ei qui nos à morte liberauit: quia ad illos iuuandos actior eſt obligatio, quam ad hunc: ſicut & actior eſt ad eum qui ſolum commodauit, quia eſt obligatio ex iuſtitia: quam ad eum qui omnino donauit: quia tantum eſt obligatio gratitudinis & liberalitatis.

308.

Quod atinet ad cæteros conſanguineos; liberator, propter beneficij magnitudinem, merito eis præferendus videtur: niſi quod fratres ob arctiſſimam ſanguinis coniunctionem cenſeri poſſunt præferendi; quando liberator ipſe abſque periculo, & graui detrimento ſuo opem nobis tulerit: præſertim cum obligatio gratitudinis non ſit de ſe tanta, vt non ſatisfacere ei, cenſeatur mortale ex ſuo genere. Ad rationem autem oppoſitam, reſpondendum eſt: charitatem eam, maximi quidem ponderis eſſe; ſed non inducere beneficiendi obligationem, cui cedat obligatio conſurgens ex prædicta coniunctione.

309.

Quartum dubium eſt, An in extrema neceſſitate poſſim alterum mihi præferre. Pro cuius parte negatiua facit quod ordo charitatis ex D. Thomæ in *preced. queſt.* 26. *ad* 4. poſtulet vt homo magis ſe diligat quam proximum; a qua deo propria vitam corporalem præferat vitæ corporali proximi. Cum enim iubetur hunc diligere ſicut ſeipſum *Leuit.* 19. & *Matth.* 22. ſatis indicatur, amorem ſui priorem eſſe amore proximi cuius conſtituitur regula. Sed quamuis inde ſequatur, quod omnium conſenſu receptum eſt, neminem in æquali neceſſitate priuata, teneri alterum ſibi præferre: id tamen non impedit quominus poſſit quis laudabiliter propter Deum, ſibi in extrema neceſſitate præferre alterum, quem nouit eſſe vtiliorem rei publicæ, aut Eccleſiæ; vel virum valde bonum, aut amicum, aut patrem, vel filium, aliumve multum ſibi coniunctum: de quo verificetur antiquum illud prouerbum, Amicus alter ego. Quod enim licitum ſit pro alterius via tuenda ſuam periculo exponere, ſatis indicat D. Thomæ in *citato art.* 4. *ad* 2. & in *ſeq. art.* 5. *ad* 3. Cuius doctrinam propugnant ſectatores ipſius, Caſet. inquam, Bannes, & Aragonius in ſuis commentariis ibidem, & Gregor. à Valent. diſput. 3. *queſt.* 4. *puncto* 3. Franciſcus item à Victoria in relectione de homicidio, & *Sotus* lib. 7. de iuſt. & iure *ille à num.* 24. & *hic queſt.* 1. *art.* 6. Pro qua facit: tum illud Chriſti, *Ioannis* 15. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; & illud *1. Ioan.* 3. Nos debemus pro fratribus animas ponere. Quæ authoritates, cum ſint abſque limitatione ad ſpiritualem proximi ſalutem, intelligi poſſunt etiam de ſalute ipſius corporali: quam iuxta *cap. Paſce diſtinct.* 86. anteponere debemus conſeruatiõni noſtrarum rerum: etiam ſi pro eadem conſeruatiõne liceat vitam corporalem exponere periculosè

prout exponetur in lib. 21. num. 64. & aliquot ſequentibus.

Ad argumentum ergo propoſitum reſpondendum eſt, illud quod D. Thomas inſinuat in loco prius citato; hominem ſeruare ordinem charitatis quando pro vita proximi propriam exponit periculo, recta ratione id ipſum dicente: quia tunc ſibi deligit bonum virtutis, quod in ea re cernitur præſtantius, *vt pote aliorum ordinis, iuxta propoſita verba Domini,* quam cerneretur in vitæ corporalis conſeruatiõne. Si oppoſitas ideo me non poſſe aliorum præferre patri, quod hic in ordine charitatis, ſit mihi proximus. Ergo nec poſſe præferre mihi. Reſpondetur non valere conſequentiam, quia non poſſum præferre alienum patri ſine patris iniuriæ, cui ipſe ſus habeat, vt poſt me proximè, in extrema neceſſitate ex rebus meis alatur. Mihi autem præferendo alium non læſo non ipſum ſed iuxta iam dicta, malus bonum inde conſequor.

Quintum dubium eſt, vt in neceſſitate, parentes debeant præferri filiis. De quo D. Thomas 2.2. *queſt.* 26. *art.* 9. *ad* 3. ſentit (vt explicat Aragonius ibidem & Gregor. à Valent. in *citata queſt.* 4. *puncto* 5.) in extrema neceſſitate præferendos eſſe, non autem extra eam. Quorum prius tenet Magiſter ſenten. lib. 3. diſtinct. 29. pro eo que reſert authoritas D. Hieronymi & D. Ambroſij. Confirmatur verò quia licet filius ſit maxime coniunctus; parentes tamen, præterquam quod ipſi quo que valde coniuncti ſunt, beneficiis ſuis in nos ſibi obtrinxerunt, vtilis ſicut Deo; æqualia reddere non poſſimus, prout notatum eſt ab *Ariſt.* in 8. *Ethic. capite vltimo.* Quia ea de cauſa in *ſeq. lib.* 9. *cap.* 2. ait filium honeſtius ſubuenire parenti, quam ſibi ipſi. Quare & quam filio: ſicut, & turpius occideret parentem, quam filium ob aperta iniquitatem, & impietatem maiorem in eum, qui illi eſt cum Deo vitæ author.

Pro poſteriori autem aliquot poſſ. D. Thomam, rationes adfert Gregor. à Valent. Hæc autem vna ſufficere poteſt, quod ab ipſa natura ſit parentibus commiſſa cura filiorum; quæ ſicut per generationem dederunt eis eſſe, ita etiam illos ad debitum vitæ ſtatum perducunt, tanquam cauſæ influentes in ſuos effectus: qui ab illis pendunt vt in acquirendo eſſe, ita & in eodem conſeruando, ad ſuamque perfectionem perducendo. Hinc enim, vt Apoſtolus habet in *poſteriori ad Corinth.* *cap.* 12. Non debent ſuij theſaurizare parentibus, ſed patres filiis. Hinc etiam natura in parte ſenſitiua, indidit hominibus maiorem inclinationem ad amandum & beneficiendum filiis, quam parentibus; vt ſcilicet intenſior eſſet amor per quem tolerabiliore fierent labores ordinarij ſuſcipiendi pro filiis, qui egent ordinarij: parentes non item. Hos enim raro contingit plus egere quam filios. Dixi in parte ſenſitiua quia nuda voluntatis inclinatione, apprehendiatur, *vt loquuntur,* plus parentes diligantur, quam filij.

Quod autem addit Aragonius, in extrema neceſſitate ſubuenire filio patre relicto, non eſſe mortale, vt nec eſt relicto conſanguineo in tertio gradu, non facile admiſerim: quia pondus paternæ conditionis in re tanti momenti, quæ eſt extrema neceſſitas, aliud ſuadere videtur: niſi contingeret patrem fuiſſe erga filium inſigniter crudelem, aut impium: quo caſu vt notat Bannes *ad precedent. art.* 8. D. Thomæ, liceret præferre ei inſignem amicum; vt eum qui noſtri curam in fouendo, & educando nos ſuſceperit, quos ille abiecerat.

Sextum dubium, An cæteris partibus pater in elemofyna ſit præferendus matri. Ad quod D. Thom. in *cit. queſt.* 26. *art.* 10. reſponder affirmatiuè: Tum authoritate D. Hieronymi ad *cap.* 44. Etzechielis: cuius verba ſunt, Poſt reum parentem Deum, charius quoque pater diligatur, & mater filius, & filia, &c. Tum ratione: quia vterque parens diligitur vt principium nature; ſed pater eſt excellentius, & nobilius principium filij, quam mater: quia ille eſt actiuum, ideoque ſimilis Deo; & hæc paſſiuum principium. Nec reſert quod mater ferat partus dolores ingentes, multos labores ſuſcipiat in educando, familiarius tractet: quia pater vt in generatione, ſic & in educatione inſtituit vt principium principium: vnde & familiaris caput eſt, laboraque in acquirendis & conſeruandis bonis ex quibus familia viuat. Quamquam interdum tantus eſſe poteſt exceſſus bonitatis

in ma-

in matre, vt praeponderet dicto excessui excellentiae, & dignitatis: quem non esse tantum, vt ceteris etiam patribus, matrem praefere patri sit mortale, Aragonius ad eum D. Thomae locum satis congruenter rationem existimat.

Septimum dubium, Vtrum parentes sint praeferendi vxori. Ad quod congruenter doctrix D. Thomae in sequent. art. in Aragon. ibidem & Greg. a Valent. in cit. punct. 5. coroll. 10 Respondent extra necessitatem extremam debere vxorem praeferi: & hoc propter arctiorem in communi conuictu, & vitae societate coniunctionem viri & vxoris, quam patris & filij; indicatam per illud Gen. 2. *aiturum à Domino Matth. 19.* Dimitte homo patrem & matrem & adhaerebit vxori suae, & erunt duo in carne vna. ] Itemque per illud quod natura instituit, amor quo diligitur vxor, intensior sit in parte sensitiua, quam soleat esse in, quo diliguntur parentes; ad familiaritatem nimirum inter coniuges ipsos fouendam: & ad conseruandum studium iuuandi se inuicem in necessariis, iuxta obligationem quae innuitur illis Gen. 2. Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.]

In necessitate verò extrema, parentes vxori praeferi debere illdem sentiunt: quia illi sunt in maiori pretio habendi; tum propter arctam coniunctionem: tum propter ingentia ab illis accepta beneficia: inter quae est, esse ipsum absolutè; quod à filiis prudenti iudicio, ac sensuali affectu excluso, bene perceptum, ingenerat in eorum voluntate, inclinationem ad parentum esse (à quibus sum accepert) conseruandum, quando in extremo periculo versatur: adeoque ad parentes ipsos, aliis quantum ais coniunctis, praefereandos in extrema necessitate. Cuius inclinationis argumentum esse potest commune rationis dictamen, quo parentes tam vxori quam filiis in exhibitione honoris iudicamus praefereandos, tanquam personas in maiori pretio habendas à nobis.

Octauum dubium est, Vtrum vxor sit praeferenda filio in extrema necessitate. Ad quod cum Aragonio in interpretatione D. Thomae 2. 2. quae 26. art. 9. in fine, videtur respondendum affirmatiuè: quia vxoris & viri coniunctionem ceteris maiorem esse, habetur ex citata Scripturae autoritate, Et erunt duo in carne vna. Maior quoque pretij esse vxorem quam filium ex eo probatur; quod illa sit principium generationis filij, & principium habeat rationem excellentioris boni, quam effectus: atque ex duobus; quando in pereundi periculo nequit vtrumque seruari, illud secundum rectam rationem debeat praeferi, quod pretiosius est. Accedit quod vir ratione contractus & conuentionis matrimonialis, non minus teneatur prouidere ac tubuere vxori, quam filiis. Iam quod dictum est de viro in comparatione ad vxorem, intelligendum est patri ratione de vxore in comparatione ad virum; quod nimirum debeat in extrema necessitate, hunc praefere filiis, non autem parentibus.

Vltimum dubium est, An Pater spiritualis seu magister, qui nos bonis moribus & literis instruxit, praefereendus sit patri carnali. Pro cuius parte affirmante facit, quod bona spiritualia, quae pater spiritualis communicat, praestantiora sunt corporalibus, quae accipiuntur à patre carnali. Sed partem negantem probabiliorē facit; quod pater carnalis in filium influat naturaliter, independenterque ab illo: atque ratione beneficij quod taliter confert, maneat ad illius educationem & institutionem obligatus, ad ipsiusque bona idem filius ius habeat. Pater verò spiritualis moraliter solum influat, puta mouendo per instructionem; atque adeo dependenter à consensu filij spiritualis: neque obligatio ipsius sit tam fixa, quam patris carnalis: quandoquidem ei liberum est relinquere ipsium educandi munus; non item patri carnali, suum. Atque haec haecenus de ordine seruando in elemosyna eroganda, consentanea iis quae à D. Thoma in cit. quae 26. & à ceteris Theologis cum Magistro sentent. lib. 3. distinct. 29. traduntur de ordine charitatis seruando, vt opera nostra Christo sint accepta. Ea paucis comprehensa habent Syluester in verbo Charitas quae 2. & Nauarrus ad cap. Charitas est, de poenit. distinct. 2.

§. Diligere.

Attendenda & seruanda ex parte rei, quae datur in elemosynam.

Præter illa quae iam patent ex præced. cap. 2. tria videntur attendenda in re, quae danda est in elemosyna in. Primum, An sit alteri debita, quantumcumque iuste possessa. Secundum ad quid sit de se ordinata. Tertium num melius sit totam simul quam per partes, & paucioribus in magna, quam pluribus in parua quantitate, eam erogare.

Circa primum autem notandum est ex D. Thoma 2. 2. quae 31. art. 3. ad 3. vnum debitum esse quod non est numerandum in bonis eius qui debet, sed potius in bonis eius cui debetur: vt si quis habeat aliquid commodatum, aut depositum, aut precatio acceptum, aut ex furto, vel rapina, aut ex aliqua causa obligatum certae personae, cui restitui debeat tanquam ei proprium. Alterum verò debitum esse, quod in bonis debitoris, non autem eius cui debetur numerandum est; cuiusmodi censetur quod debetur ex mutuo, aut ex alio contractu, quo dominium rei traditae acquiritur. Notandae sunt praeterea sequentes propositiones. Prima est, debitori non egenti extreme re sibi debita, praefereendum esse alium, ea extreme indigentem. Haec satis patet ex dictis antea.

Secunda, Si nondum aduenerit tempus solutionis aut restitutionis debiti: me posse me ipsum, aut patrem vel matrem, vxorem, vel filium (ac forte fratrem ob primum consanguinitatis gradum) extrema necessitate laborantem, praefere ei cui debetur. Ratio est, quia non teneor ex iustitia, neque iure cogi possum rem debitam restituere ante praescriptum terminum elapsum: sed solum teneor ex charitate, ex qua possum mihi, & teneor parentibus, vxori, & filiis (et forte fratribus) prius subuenire, quam extraneo; etiam si propter ius quod ad rem debitam is habet, ex quadam aequitate censetur praefereendus nobis coniunctis, in inferiore consanguinitatis gradu. Itaque si quis mihi commodauit aut locauit equum ad duos menses, & intra primum mensem, iam pater meus quam locator egeat illo extreme ad euadendas manus hostium, ipsos ad mortem quaerentium, patri potius, quam locatori debeo dare.

Tertia propositio est, Idem quoque vsuuenire, elapso etiam termino, cum debitum fuerit posterioris generis. Ratio est quia res illa, vt pecunia vel frumentum, vel vinum vel aliud tradendum in solutionem, antequam haec fiat, manet in rebus debitoris: qui de suo debet parentes, filios, vxorem (ac forte etiam fratres) prius quam ceteros iuuare in necessitate, non obstante debito: cuius solutionem differendi, talis necessitas iustam praebet causam.

Quarta propositio est, Controuersiam esse quidem inter Doctores, vt videre est apud Toletum in tractatu De septem peccatis mortalibus, cap. 39. An elapso item termino, cum debitum fuerit prioris generis, nos ipsos, aut parentes, vxorem vel filios aut etiam fratres in extrema necessitate praefere possimus creditori cui debetur: nihilominus videri tenendum tanquam probabilius (sicut cum Soro Toletus ipse tenet) posse praefere. Quod quidem patet de nobis ipsis; quia in extrema necessitate omnia sunt communia, meliorque est conditio possidentis: vt bene explicatum videri potest apud Caiet. 2. 2. qu. 62. art. 5. ad 4. De parentibus verò, filiis & vxore probatur; quia hos in tali casu praefere non impedimur ex eo, quod res sit aliena: quia impediremur quoque nos ipsos praefere.

Adde quod per extremam necessitatem res ita fiant communes, vt locus sit prudentiae, quae pensatis personarum diuersis conditionibus, & inter se comparatis, decernatur quae praeferenda sit vt D. Thom. attingit loco citato. De fratribus res est ita incerta, vt Franciscus à Victor. referente Aragonio ad eundem locum D. Thomae conclus. vlt. senserit sine periculo peccati mortalis liberum esse cui malueris subuenire: Toletus autem loco citato probabilius putat praefereandos esse fratres. Aduerte autem cum eodem Aragonio in præced. concil. tertia, propositionem hanc procedere quantumcumque creditor extremam necessitatem prior incidit: quia licet graue peccatum commissum sit, differendo subuentioem ei debitam: ex eo tamen non est amissum ius subueniendi sibi aut suis antedictis, qui in partem necessitatem interea incidierunt.

Circa secundum notandum est: rem quae in elemosynam eroganda est, de se ordinari, vel ad vitam corporalis, vel

ad vitam spiritualis subsidium. Atque in erogatione rei, quæ prioris modi est, præferendos esse eos qui nobis conuinciores sunt carne, ut confanguineis; in erogatione verò illius quæ posterioris modi est, præferendos esse spiritu conuinciores; ut sunt sanctiores, & in spiritali vita instituto nobis magis coniuncti. Vnde soluitur dubium quod latius persequitur Abulensis ad cap. 6. D. Math. quæst. 66. num. potius subueniendum sit parti infideli, quam proximo fidei: illi enim magis subueniendum est subsidio corporali, ut victu, vestitu, & similibus: huic verò magis subsidio spiritali, ut consolatione, correptione fraterna & aliis id genus.

318 Circa tertium notandum est ex Abulens. in sequen. quæst. 71. quod cum elemosynam erogare sit opus liberalitatis, consentaneum esse, ut abundans sit & larga.

Ea autem abundantiam & largitatem esse, vel ex parte dantis, vel ex parte recipientis. Ex parte dantis est larga, quando quis tantum dat quantum sibi decens est dare: sique talis vult statum mutare relinquendo seculum, potest simpliciter largas facere elemosynas: atque adeo, ne quid proprium seruet, simul potius, quam per partes suas omnia distribuere; quantumcumque contingeret ea villiori pretio vendi, & id eo minus habere, quod in elemosynam erogetur. Id quod latè tractat idem Abulens. in præced. quæst. 70. Ratio verò præcipua est, quod proprium habere repugnet essentiali voto religionis, ita vt ne Papæ quidem indulgentiâ possint simul subsistere ex cap. Cum ad monasterium §. finali, de statu monachorum, cum dicitur. Nec existimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispellare: quia abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachi: ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. ] hæc ibi. Et certè volentibus sequi, Christus Dominus indixit Math. 10. ne aurum possiderent nec argentum; & in sequen. cap. 19. vt venderent omnia quæ possiderent, & darent pauperibus. Quod verò melius sit citò facere elemosynam, dando pauca pauperibus, citòque ingredi religionem, quam diutius in seculo expectare vt dentur magnæ elemosynæ, constat ex ea epistola D. Hieron. ad Paulinum, ex qua id ipsum latè confirmat Abulensis. Quod si quis statum mutare nolit abundanter & largam sicut oportet, elemosynam censetur facere, quando seruata proportione ad suas facultates, & statum suum, sufficientem eam esse recta ratio dictauerit. Vt enim vituperabilis esset ea, in qua sic deficeret, vt minus quam par esset necessitati pauperis subuenire: sic etiam esset illa, in qua adeo excederet, vt à mendicitate alium liberans, ipse mendicare cogere tur aut suis subtraheret necessaria. Quod cauendum est, quia in eo charitatis ordo turbaretur, estque seruandum illud quod Tobias filio præscribit: Tob. 4. his verbis. Quomodo potueris, esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. ] Veruntamen circa lapsum à proprio statu & prædictam subtractionem, laudabile esset, etiam de nobis necessariis, secundum conditionem proprii status, aliquid dare in elemosynam: vt fecisse censetur vidua, quæ laudatur à Christo Marci 12. in fine.

319. Iam ex parte recipientis elemosynam hæc censi potest abundans, & larga dupliciter; vno modo quia sufficienter supplet illius indigentiam: qualiter largam necesse est fieri pauperi existenti in extrema necessitate. Nam si iustus trahatur ad mortem solummodo vt certa pecunia ab eo extorqueatur, tota numeranda esset si aliter non liberaretur; alioqui graue peccatum committeret is apud quem in tali casu plus valeret sua pecunia, quam vita morientis ex cap. Non satis distinct. 86. Extra necessitatem verò extremam, inquit Abulens, licet laudabile sit totam pauperis indigentiam leuare, melius tamen est elemosynam diuidere in plures, vt patet ex cap. Dominus dist. 86. cum dicitur Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari. ] id est, non vult omnia simul dari vni, seu diuidi inter multos. Et ex cap. Pulchra ead. distinct. cum dicitur, Pulchra liberalitas est, in ipso quoque dato mensuram tenere, vt abundes pluribus id est, sic dare cui libet, vt possimus dare pluribus; prout interpretatur Abulens in citata quæstione. 71.

Alio modo elemosyna censi potest abundans & larga, quia superat indigentiam pauperis, non solum liberans

eum à paupertate: sed etiam diuitem faciens: quod laudabile non est. Immo & ei tantum dare, vt à paupertate liberetur, etiam si diues non fiat, non tam est laudabile quam dare multis, quorum præsentibus necessitatibus subueniatur: ad eum modum quem D. Paulus in priori ad Corinth. 13. indicat cum ait: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. ] Nam distributio importat diuisionem rei in partes diuersas tribuendas: vnde glossa ibidem habet; per illud elemosynæ cautelam doceri; vt non vni sed pluribus detur, vt pluribus proficit.

## CAPVT XXIV.

Deiis quæ retardare &amp; promouere possunt elemosyna usum.

## SVMMARIVM.

320 Avaritia indignitas.

321 Dignitas elemosyna, quodque ea in se contineat orationem &amp; ieiunium, sique his magis satisfactoria.

322 Temporalis utilitas elemosyna.

323 Eiusdem utilitas spiritalis.

324 Elemosyna qua non est facta propter Deum, facienti nec meritoria est æterna salutis, nec satisfactoria.

325 Quando possit præcipuum illam fieri, esse meritoria: &amp; quod per eam vnus non possit mereri pro alio.

326 Facta in charitate propter Deum, vnde habeat quod maioris meriti sit, aut maioris satisfactionis.

327 Sementia Theologorum de peccante ex infirmitate, cui vsus elemosyna est familiaris.

Præter sanctorum exempla & documenta varia (quæ satis magno numero collecta habentur in quodam libello edito de elemosyna, & operibus charitatis, qui circumscribitur sine nomine auctoris) ad elemosynæ usum inuiantillius tum dignitas, tum utilitas: retardat verò vniuersa avaritia, tam indigna homine, tamque ei perniciosa, quam digna est & vitilis elemosyna.

De qua indignitate multa quidem dici possunt: sed ad sciendum aduersus talem nequitiam studium elemosynæ, sufficere proposuisse homini cordaro, fide Christiana imbuto, nihil esse avaro scelestius, nihilque esse iniquius quam amare diuitias vt habetur Ecclesiastici 10. Et ratio est quia per avaritiam, homo rei, quam Deus pedibus ipsius conculcandam de dit, se subicit; in eaque spem suam ac totum studium suum collocat, tanquam de ea faciens Deum suum: vnde ex cap. 3. epistolæ ad Ephes. habendus est idolorum seruus, adeoque alienus ab hæreditate regni Christi & Dei: prout satis Christus ipse indicauit, cum Math. 19. dixit Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem in tære in regnum celorum. ] Itemque Apostolus in priori ad Timoth. 6. cap. dicens, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa nociva; quæ mergunt in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. ]

Dignitas autem elemosynæ patet ex eo, quod consistat in communicando bonum nostrum, ad subleuandam alienam indigentiam: id quod superioris est atque eminentioris, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 30. art. 4. Item ex eo, quod inter bona opera externa oratio, ieiunium, & elemosyna censetur omnium dignissima: quæ aliorum quasi capita: interque eadè tria, elemosyna cæteris potior iudicetur tanquam duo reliqua continens; perinde ac in homine intellectum continet sensum & vegetum; prout docet Abulens. ad cap. 6. D. Math. qu. 32. & communiter tenent Theologum D. Thoma; cuius hæc sunt verba in 4. senten. distinct. 15. quæst. 2. art. 2. ad 2. quæstionem. Elemosyna includit in se virtutem orationis, & ieiunij. Orationis quidem; tum quia elemosyna eum cui data est, constituit debitorem ad orandum & ieiunandum pro eo qui dedit: tum quia elemosyna data propter Deum est quasi quædam oblatio facta Deo; iuxta illud Christi Math. 5. Quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis. ] Oblatio autem facta Deo, vim habet orationis, tanquam impetratoria: iuxta illud Matt. 5. Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. ] Perinde scilicet ac munus inter homines, vim habet precis ad aliquid ab alio impetrandum, vt bene ait Med. in C. d. de elemo-

elemosyna quæst. 2. §. An autem. Ieiunij vero rationem habet elemosyna, quatenus exteriora bona ad corporis conseruationem ordinantur. Inde enim fit, ut eorumdem subtractio per elemosynam, virtute continet quodammodo ieiunium, quo maceratur corpus: sicut & oratio illud ipsum continet, quia erectio intellectus ad Deum, parit debilitatem corporis. Quocirca elemosyna complexius (vt D. Thomas loquitur, quasi citius plus complectendo) vim habet satisfactionis quam oratio: & oratio quam ieiunium. Id quod insinuat per illud prioris ad Timoth. cap. 4. Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Vnde, vt D. Thomas addit, elemosyna magis inducitur, tanquam vniuersalis medicina peccati, quæ oratio vt Luc. 11. Date elemosynam & omnia munda sunt vobis] & Daniels 4. Peccata tua, elemosynis redime. ] & Tob. 4. Elemosyna ab omni peccato liberat, & non pariet animam ire in tenebras. & in prioris ad Timoth. 4. Pietas ad omnia villis est promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futura. ] Quibus verbis Apostolus alludit ad quartum præceptum decalogi de honore, seu subuentione parentum: cui soli apponitur promissio vitæ quæ nunc est, per illa verba, [vt sis longæuitus super terram] ex qua tanti Doctoris tam solida doctrina satis patet, quam commendatus esse debeat: elemosynæ usus illis, quibus cura est facere fructus dignos penitentiarum: vt debet esse omnibus expectantibus æternam salutem. Neque est quod quis propter hæc putet sibi remittendum orationis & ieiunij studium: quia etiam ad satisfactionem pro peccatis præteritis, & ad meritum vitæ æternæ plus valeat illi elemosyna: plerumque tamen ad cauenda peccata futura, & superandas, quæ ad illa trahunt tentationes, minus conducit [vt bene tractat Abulen] in citata quæst. 32. ad 1. tanquam minus scilicet efficacæ ad carnem edomandam.

Vilitas autem elemosynæ quæ cum dignitate promouere potest illius usum, est tum temporalis, tum spiritalis benedictionis: vt satis ostendunt proximè citata D. Pauli verba: & illud Tob. 4. Fiducia magna erit coram summo Deo elemosyna omnibus facultibus eam. Et confirmatur de temporali per illud quod habetur Proverb. 28. Qui dat pauperi non indigebit: & quod ibidem in præced. cap. 3. præterbitur: Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua facultate, & vino torcularia tua redundabunt. ] Quod spectare ad elemosynam constat; tum ex eo, quod in margine ponitur ad idendum, da pauperibus: tum ex eo, quod in sequenti capite 14. vers. 31. is dicitur honorare Deum qui miseretur pauperis. Accedit illud Ecclesiasticus 29. Perde pecuniam propter fratrem, pone thesaurum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis, quam aurum: ] & illud Psalm. 40. Beatus vir qui littegit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. ] Accedit abundantia rerum quam consecrunt Tobias & Iob, vt videre est in ipsorum historis cap. vltimo.

De spiritali vero vilitate, quæ est remissionis peccatorum & conseruationis in diuina gratia ad æternam mortem euadendum, habentur Sacre scriptura loca: Tob. 12. Elemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata [Ecclesiasticus cap. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & elemosyna reficit peccatis: ] & cap. 29. Conclude elemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo: ] & Isai. 1. Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, venite & arguite me dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabitur: ] Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. ] Accedit etiam quod habetur Matth. 25. de sententia proferenda in die iudicii: quæ si quem non moueat ad elemosynæ usum, amore beatitudinis mouere saltem debet timore æternæ damnationis: sicut & illud Ecclesiasticus 4. Elemosynam pauperis ne desudas, & oculos tuos ne transuectas à paupere. ] Cui postea subiungitur: Maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur de præcatio illius, exaudiet autem illum qui fecit eum. ] Quomodo autem ex elemosyna, cum sit corporæ, talis effectus spiritalis proueniant, efficitur interne an solum dispositio diffinitatem habet relinquendam Theologis scholasticis, qui in interpretatione D. Thomæ 2. 2. quæst. 32. art. 4. ubi tractant, vt Barnes & Aragon. & Larius Grigon. & Valen. d. sicut 3. quæst.

9. puncto 3. Quia verò ob tales effectus elemosyna, tum gloriae meritoria tum pro peccatis satisfactoria esse dicitur: oportet exponere, quoniam ad praxim facit, quando contingat eam talem esse, præpositis aliquot documentis ex Abulensi in sequen. quæst. 33.

Quando contingat elemosynam esse meritoriam & satisfactoriam.

Primum est, elemosynam non esse vitæ æternæ meritoriam, nisi fiat propter Deum: ideo enim facta ob inanem gloriam; mercede apud Deum caret ex cap. 6. D. Matth.

Secundum est, neque esse satisfactoriam pro pœna peccatis nostris debita diuinæ iustitiæ. Satisfactio enim tunc contingit, cum aliquid in compensationem datur ei cui debetur: pœnam autem pro peccatis debemus Deo: cui nihil datur per elemosynam, quæ non fit propter ipsum. Vnde sequitur eam non esse satisfactoriam.

Tertium est, etiam si per elemosynam factam primaria intentione propter inanem gloriam, non satisfiat Deo: satisfieri tamen homini, etiam Dei autoritate eam præcipienti: vt v. g. Confessario eam imponenti in penitentiam. Nam sicut is qui tenetur alteri soluere centum, æquè ei satisficit illa soluendo ob inanem gloriam, ac soluendo ob Dei gloriam: quandoquidem iam vno quam altero modo soluens, se à debita liberat: ita etiam is qui ob inanem gloriam dat elemosynam sibi à Confessario impositam, quamuis nullam pœnam peccatis suis debitam redimat, quia nihil dat Deo; id tamen consequitur, vt præceptum Confessarij non transgrediatur, nec illius violati reus iudicetur.

Quartum est, elemosynam factam solum ob inanem gloriam, posse satisfactoriam esse apud Deum, pro alio qui propter Deum ipsum eam fieri mandauit: vt si defunctus illam iniunxisset hæredi, & hic iniunctam exequatur principaliter ob inanem gloriam: nullo scilicet modo executorius, nisi inde gloriam expectaret. Ratio est: quia in tali casu, defunctus qui elemosynam fieri iussit, cõsetur illam facere iuxta illud. Qui per alium facit, per seipsum facere videtur. ] Vnde illius intentio, non autem executoris, spectanda est: ideoque si propter Deum iusserit fieri, propter Deum facta esse reputabitur, quantumcumque executor in ea facienda vanam gloriam propositam habuerit. Quod si defunctus non iusserit fieri sed aliter proprio motu eam pro illo faceret: prodesse illi facta propter Deum, non autem facta propter inanem gloriam; nisi forte ex accidenti; nempe quod contingeret accipientes talem elemosynam moueri ad orandum pro tali defuncto, cuius causâ illam fieri præbunt, etiam si in rei veritate fiat solum ob vanam gloriam.

Quintum est, vnius elemosynam non posse alteri meritoriam esse, est possit esse satisfactoria. Ratio est, quia gradus vitæ æternæ non datur alicui propter alterius bonum opus, sed tantum propter suum, iuxta illud posterioris ad Corinth. 3. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat unusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum. ] & illud Apoc. 22. Ecce venio cito, & merces mea mecum est; reddere unicuique secundum opera sua. ] Potest tamen quis alium iuuare factâ elemosynâ ad obtinendam illi à Deo gratiam, per quam operetur dignâ salutem æternâ.

Sextum est, elemosynam quæ facta propter Deum ab existente in charitate, meritoria illi est, & satisfactoria; rationem maioris meriti accipere possimum ex magnitudine fertoris charitatis, quo ipsa fit: rationem verò satisfactorie maioris ex magnitudine rei de qua fit: hoc est, ceteris paribus magis meritoriam esse quæ fit ex maiori charitatis fertore: magis verò satisfactoriam esse quæ fit in maiori quantitate, aut in maiori valore. Ratio est, quia sicut in æternam vitam per actum charitatis, ita etiam meremur excellentiorem gradum vitæ æternæ, per actum perfectiorem charitatis. Item cum satisfactio fiat per actum bonum laboriosum, seu pœnalem: quanto elemosyna plus pœnæ habet, tanto ea est magis satisfactoria. Tanto autem plus habet pœnâ, quanto plus per eam res propterea diminuuntur, vt fit cum plura aut pretiosiora in elemosynam dantur. Quare, ea erit tunc magis satisfactoria. Quod intelligit ceteris paribus: quia potest fieri, vt quis inuorem elec-

motynam det cum tanto feruore charitatis, vt non modo plus mereatur, sed etiam plus satisfaciatur, quam alter dans maiorem cum longe minori feruore.

327.

Septimum his addi potest quod ex communi Theologorum sententia Bannes & Aragonius loco citato propositione vltima habent, viros misericordes etiam in peccato existentes, si non ex malitia, sed ex humana fragilitate peccare soleant, ante mortem vt plurimum accipere a Deo veram paenitentiam: sicque euadere damnationem aeternam, iuxta illud Math. 5. Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. & illud Tob. 4. Elemofyna a morte ab omni peccato liberat, nec animam patitur ire in tenebras. Id quod illustrari potest exemplo quod habetur in actis cap. 10. de Cornelio Centurione. Haecque haecenus de corporali elemofyna. Superest vt de elemofyna spiritali dicamus.

## CAPVT XXV.

## De elemofyna spiritali.

## SUMMARIUM.

- 328 Sacra scriptura auctoritates de septem elemofyna spiritalis generibus.
- 329 Quae & quorum sit obligatio faciendi elemofynam spiritalem.
- 330 Quomodo ea sit inferiorum, respectu superiorum.
- 331 Materia praecipua obligationis faciendi elemofynam spiritalem, peccatum mortale pendens in futurum.
- 332 Peccatum commissum non pendens in futurum, correctioni iudiciali Superioris subiicitur, etiam delictum paenitentia: non autem correctioni fraternae.
- 333 Obligationis faciendi elemofynam spiritalem, materia potest esse peccatum veniale, cum inducit probabile periculum peccati mortalis, alias non.
- 334 Peccans ex ignorantia inuincibili quando sit corrigendus.
- 335 Ad eandem obligationem, certa notitia peccati, de quo proximus est corrigendus, ita requiritur, vt dubia aliquando sufficere possit, idque quando.
- 336 In dubio Praelatus tenetur de peccato subditi inquirere non item alius.
- 337 Omittenda correctio fraternae, non item iudicialis, cum ex ea peccator fieret peior.
- 338 Quod procedit etiam si spes sit, quod ex tali correctione postea emendabitur.
- 339 Non est omittenda correctio ex qua scitur proximus non futurus deterior, etiam si dubitetur an futurus sit melior.
- 340 In dubio ne proximus deterior fiat, correctio adhibenda est, quando nulla alioqui spes est eum liberandi ab anima interitu sempiterno.
- 341 Adhibenda est correctio fraternae, quando scitur, quod ea non nocet, etiam si dubitetur an profutura sit.
- 342 Omittenda est, cum aequale dubium fuerit an profutura sit, an vero nocitura, nisi esset extrema illius necessitas. Neque est obligatio illam faciendi, quando ne apud alios quidem speratur ex ea utilitas.
- 343 Opportunitas ex parte personae requisita ad obligationem faciendi elemofynam spiritalem.
- 344 Opportunitas requisita ex parte loci & temporis.
- 345 Quando licitum sit correctionem fratris differre.
- 346 Quando dilatio fraternae correctionis sit meritoria: quando peccatum mortale, & quando veniale.
- 347 De mansuetudine coniungenda cum prudentia, in corrigendo delinquente.
- 348 Homo priuatus spiritali elemofyna proximi necessitatem cognoscens, tenetur ei subuenire si possit sine suo incommodo.
- 349 Debemus amittere bonum nostrum spiritali, bono spiritali proximi.
- 350 Non licet peccare ob quodcumque spiritali, siue bonum consequendum, siue malum fugiendum.
- 351 Quomodo accipiendum sit, quod ex duobus malis eligendum sit minus.
- 352 Cui periculo peccandi liceat se exponere pro salute animae proximi.
- 353 In extrema necessitate spiritali proximi, debemus ad subueniendum ei, velle pati aliquam iacturam in bonis nostris spiritalibus.
- 354 Quid extra eam necessitatem.
- 355 In omissione exercitiorum spiritalium cauendam nobis est affectu carnali.

356 Ob eandem a charitate & obedientia profectam, nihil meriti deperditur.

357 Triplex necessitas spiritalis, communis, grauis, & extrema, & quae in vnaquaque earum sit obligatio subueniendi proximo.

358 Praecepto diuino obligamur vitam corporalem, exponere pro spiritali vita proximi.

359 Quod procedit cum necessitas spiritalis proximi fuerit extrema.

360 Item cum necessitas grauis fuerit, procedit comparatione eorum quibus ex officio cura salutis animae incumbit.

361 Non item comparatione aliorum: quibus tamen laudabile est tale discrimen subire.

Spiritalis elemofyna, qua quis a proximo miseriam peccati repellere misericorditer conatur, tanto praestantior est corporali, quanto malum peccati, peius est malo corporali.

Illius septem esse genera ostensum est in 19. cap. praecedenti. De quorum primo, quod est docere, habetur in Psalm 50.

Docebo iniquos vias tuas. & Daniel. 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi stellae firmamentis; & qui ad iustitiam erudiunt multos, in perpetuas aeternitates. De secundo vero,

quod est consulere, habetur ad Galat. 6. Si praecipuus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. De tertio, quod est corripere, in

Psalm. 140. Corripiet me iustus in misericordia & in Ecclesiastico cap. 19. Corripe amicum, corripe proximum; &

Math. 18. Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c. De quarto, quod est consolari, in

priori ad Thessal. ca. 5. Corripite inquitios, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. De quinto, quod est condonare offensam. Luc. 6. Dimitte, & dimitte mihi. De sexto, quod est sustinere defectus aliorum, ad Rom. 15.

Debemus nos firmiores, inbecillitates infirmorum sustinere. De septimo denique, quod est orare pro alijs, Iacobi 5. Orate pro inuicem vt saluemini.]

Ostendunt autem eiusmodi verba eam, quam nostrum

statum est considerare, obligationem faciendi talem elemofynam.

Quae obligatio intelligitur etiam ex cap. Prouidentium & cap. Consentire distinct. 83; & cap. Facientis distinct. 86, & ex cap. Tum Sacerdotes 24. quaest. 3. confirmantque

antedicta de obligatione ad elemofynam corporalem faciendam; cum non minor, immo maior, sit miseria spiritalis quam corporalis: deo que magis exigens charitatis & misericordiae subsidium. Qua de causa perinde censenda est sub

mortalis esse, ac corporalis: nam respectu eorum qui ipsa spiritali inquam elemofyna, indigent: quam eorum qui eam facere

possunt: etsi in his aliqua diuicitas notatur: nimirum quod quidam arctius alijs ad eam obligentur. Etenim Praelati sub-

ditis suis in spiritali necessitate subuenire obligantur non tantum lege charitatis; sed etiam ex proprio munere, & quadam lege iustitiae. Quod idem iudicium est de ijs qui stipendium capiunt, aut mercede conducuntur ad subleuandam

spiritali indigentiam. Sicigitur maior est pastorum, quam aliorum obligatio docendi suae curae commissos ignorantis

necessaria ad salutem: prout satis patet per statutum Concilii Triden. sess. 24. de reform. cap. 4. & 7. Maior similiter est iu-

uandis consilio, obligatio consiliariorum, qui in eum finem

constitutum habent stipendium, aut mercede conducuntur quam aliorum. Maior item est corrigendi peccantes obligatio Superiorum siue Ecclesiasticorum, siue Laicorum, quam

aliorum. Accorrigendi non tantum correctione fraternae, sed etiam iudiciali, per punitionem in bonum commune.

Cuius rei maxime gratia, Principibus tributa, & vectigalia penduntur; & Iudicibus Magistratibus stipendia publica assignantur. Quod idem iudicium est de alijs qui mercede ad

tale quid conducuntur. Dici quoque potest, maiorem esse patris familias in ordine ad suos subditos quam priuatae personae; cum ex suo munere teneatur peculiari ratione, ipsis suis prospicere & particulare bonum ipsorum curare.

Obligatio subditorum faciendi spiritali elemofynam suis Superioribus.

SECTIO I.

Immo maiorem esse subditorum in ordine ad suos superiores, ob peculiare debitum his benefacendi, quan-

330.

do necessitas exegerit. In quo tamen officio, præsertim correctionis fraternæ, ij debent cum ea reuerentia, & humilitate procedere, vt obsecratio videatur potius esse quam increpatione, dicente Apostolo in priori ad Timoth. cap. 4. Seniore ne increpaueris: sed obsecra vt patrem. ] Quæ doctrina est D. Thomæ 2. 2. quæst. 33. art. 4. eamque bene illustrat Aragonius ibidem, statuens has conclusiones pro praxi notandas.

Prima est, Subditis non licere de peccatis occultis, suos Superiores publicè reprehendere. Hæc patet: quia nec eo modo licet alium reprehendere, cum dicat Dominus Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.]

Secunda est, Prælatum de publico peccato erroris circa fidem, publicè corripiendum esse. Hæc probatur ex facto D. Pauli, de quo ad Galat. cap. 2. qui publicè redarguit D. Petrum, eo quod alius occasione daret suspicandi quod legalia deberent necessariò seruari in lege Evangelica. Denim Paulus in autoritate regiminis inferior fuit D. Petro, quem Ioan. ultimo Christus constituit omnium suarum pastorem vniuersalem: quamuis in executione eiusmodi autoritatis par esse sit, vt notat D. Thomas ad cit. cap. 2. lect. 3. de qua re memoratus Aragonius loco citato sub finem.

Tertia est, Superiorem de quocumque alio peccato publico publicè corripiendum esse, si ipsum vergat in aliorum scandalum, seu causa sit aliis perpetrandi similia. Pro hac facta textus satis apertus in cap. Paulus dicit 2. quæst. 7. Faciunt etiam reprehensiones vehementissimæ Sacerdotum & Principum, præsertim apud Isaiam capite primo vers. 10. & capite 56. sub finem: & apud Ezechielem in capite 13. & 22. Adde illud Dauidis Regis in Psalmo 140. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. ] Procedit autem conclusio hæc, quantumcumque non sit spes emendationis eorumdem Superiorum: si lapsus aliorum, nisi talis publica reprehensio fiat, probabiliter timeatur: quia sius publicæ reprehensionis peccatorum, non est tantum salus peccantium; sed etiam commune bonum aliorum. Quod sufficere, etiam si illa non speretur, patet ex eo quod D. I. Iann. Baptistæ Matth. 3. & Dominus noster in sequent. capite 15. grauissimis verbis reprehenderint Pharisæos, quibus sciebant suam correctionem non profuturam.

Vltima conclusio est: Quando ex publica reprehensione Superiorum, immo & quorumcumque aliorum, nulla speratur utilitas, ab illa abstinendum esse. Pro hac aliquot Patrum autoritates adfert Aragonius: sed ea satis de se nota est. Nam quæ ad aliquem finem ordinantur, eatenus vsurpanda sunt, quatenus ad illum conducunt. Vbi autem nulla spes est utilitatis, cessat planè finis publicæ reprehensionis: hæc igitur debet pariter cessare. Cæterum præceptum de elemosyna spiritali cum sit affirmatiuum, non obligare pro omni, sed pro aliquo certo tempore dubium non est. Tale autem emendetur esse illud in quo concurrunt hæc conditiones: sufficiens nimirum materia; eiusdem in noticia; sperata utilitas, & opportunitas; de quibus sigillatim dicendum est. A Doctoribus autem communiter traduntur, cum agunt de correctione fraternæ, quæ primas partes tenet inter proposita elemosynæ spiritalis genera.

De prima conditione requisita ad obligationem faciendi elemosynam spiritalem: quæ est sufficiens materia.

### SECTIO II.

De hac dicendum est primò, omne peccatum mortale proximi, dummodo aliqua ratione pendeat in futurum, esse materiam sufficientem ad obligationem de qua agimus. Ratio est quia per tale peccatum perditur proximus, ad quæ lucrandum datum est præceptum de spiritali elemosyna iuxta illud Matth. 18. Si te audierit, lucratus eris frater tuum. ] Dicitur est autem, dummodo ratione aliqua pendeat in futurum: quia si non sit recidendi periculum, eo quod peccator iam omnino emendatus sit, cessat obligatio correctionis: cessante scilicet perditione proximi.

Quamquam negandum non est, quin peccatum præteritum per penitentiam delectum pertineat ad Prælati correctionem: non quidem fraternam, quæ fit vt qui delinquit emendetur: sed iudicialem, quæ fit vt ipse puniatur ad bonum

publicum, cui consulere Superioribus incumbit; aut in satisfactione tertij, qui licet teneatur noxas aduersum se commissas remittere ex animo, damni tamen sibi illati satisfactionem exigere potest in iudicio.

Difficultas est autem, An materia sufficiens censendum sit in hac re, peccatum non pendens in futurum, si nondum sit delectum penitentia. Pro cuius parte affirmante Bannes 2. 2. quæst. 33. art. 2. dub. 1. ad 4. rationem hanc adfert: quod ego custos fratris mei sum ex præcepto charitatis: & ideo teneor quamprimum commode possum à miseria eum eripere. Pro negante verò, quam Abulensis sequitur ad cit. cap. 18. D. Matth. quæst. 83. facit quod proximo non debeam plus ex charitate, quam ille sibi. At non tenetur sub pœna noui peccati mortalis: vt ostenditur in sequenti libro 5. cap. 2. sect. 3. de eo quod commisit agere statim penitentiam: sed potest eam differre, nisi imminente corporalis mortis periculo simul immineret periculum mortis animæ, ob eam obitam in malo statu. Ergo neque ego tenebor. Quam sententiam, relicta contraria tanquam duriore, qui sequi volet in praxi non videtur peccati saltem mortalis damnandus: præsertim cum penitentia illa, ex qua pendet emendatio, sit actus interius; de quo, vt ipse nos latente, iudicare non possumus.

Dicendum est secundo, Peccatum quoque veniale esse materiam sufficientem, quando coniecit hominem in probabile periculum peccati mortalis. Nam si obligamur sub mortali subuenire, cum possumus homini quem videmus verari in periculo mortis corporalis: multò magis obligabimur à mortis spiritalis periculo, cum possumus, seruare eum quem certum expolitum probabili periculo peccandi mortaliter: aut exponere eidem periculo alios: vt fit cum ex veniali peccato vnus, immineret aliis scandalum mortale. Sic enim ex cap. 2. epist. ad Galat. D. Paulus admonuit ac reprehendit D. Petrum de modo conuersandi cum Iudæis, ob scandalum quod poterat ex eo sequi in gentibus ad fidem conuersis. Nec enim existimandum est D. Petrum Spiritu sancto plenum peccasse in eo plusquam venialiter: bona nimirum fide, & inaduertentiâ excusante ipsum à mortali. Quod si periculum prædictum absit, peccatum veniale non esse sufficientem materiam eius de qua agimus obligationis; patet ex eo, quod imposta sit ad vitandum spiritalem mortem fratris, quam solum peccatum mortale adfert.

Ob quam causam eum qui per ignorantiam inuincibilem transgreditur præceptum obligans sub mortali; vt eum qui non ieiunat, aut non recitat diuinum officium, non tenemur arguere: eo quod talis ignorantia excuset ipsum à mortali. Excipe (quod monet Bannes in seq. dub. 3. concl. vltima) nisi factum vel ommissio redundaret in scandalum proximi, vel irreuerentiam Dei & Religionis; vt v. g. si quis ignorans vel oblitus quod hodie iudicium sit ieiunium, pareat sibi carnes; aut si in die festo faciat opus seruilis, aut rem diuinam facturus eat ad altare sine casula, & sic de similibus: de quibus nõ monere ignorantem graue peccatum esse potest ob proximi læsionem, aut Dei irreuerentiam notabilem. Adde fieri posse in tali casu, vt cessante obligatione correptionis fraternæ; alia sub ratione officij, quæ ad talem ignorantiam tollendam adstringat: qualis est in Prælato respectu suorum subditorum, ne ij sint aliis scandalo, aut ne occasionem dent alicui dissolutioni Religiose disciplinæ, aut bono communi detrimentum adferant: de qua re idem Bannes in eod. dubio concl. 1. Cæterum vbi nulla spes esset, quod tali ignorantia laborans, cognita veritate se non emendaret, nulla obligatio esset ipsum monendi; immo esset non monendi: quia admonitio esset illi occasio contaminandi se peccato mortali, à quo eam omnia excusatur per perseuerantem in eo ignorantiam inuincibilem.

De secunda conditione, quæ est antedictæ materie notitia.

### SECTIO III.

Ad obligationem de qua agimus requiri, vt certum sit fratrem esse in peccato, de quo corripiendus est: Naturæ attigit in Enchir. cap. 24. numero 12. Ad quod facit illud Ecclesiastici 11. Priusquam interrogas, ne vituperes quemquam. ] Habet autem potissimum locum quando iuxta præscriptum Christi Matth. 18. adhibendi sunt testes, aut admonendus est Prælati ne manifestando eis dubium quod habemus de peccato proximi, huic nocemus in fama: quod esset

contra charitatem eidem proximo debitam. Quod si admonitio facienda esset soli proximo de cuius peccato dubitatur, sententia Adriani in 4. De correctione fraterna, non caret probabilitate; tamen non esse obliendum peccatum tanquam certum; sed tanquam dubium proponendum placidè, cum correctionis ob quas dubitatur, num ipse in peccato, aut in periculo peccandi sit. Quam sententiam in praxi sequendam esse, maxime cum proximus creditur, non ægrè laturus admonitionem, probatur à simili: quia si dubitatur late re affixi, ubi ille imprudenter vult sedere, deberem illum monere de impendendi mortis corporalis periculo: multo magis debeo monere de impendendi per peccatum periculo mortis animæ. Neque verò tantum ut probabilis, sed etiam ut certa tenenda est talis sententia, quando ex omissione admonitionis timeretur aliquod reipublice aut tercie persone malum. In quo casu non tantum peccatorem ipsum, a quo malum timeretur, monere oporteret: sed si id non sufficeret ad tale malum auerendum, monere quoque Superiorem. Idem iudicandum est, si de quo dubitatur aut sit in peccato mortali, ita periculi eum de corporali vita, ut nisi admonetur dubitandum sit consequenter de illius æterna salute.

336. Adde etiam, quod Prælati in dubio teneantur ut corrigere peccata suorum subditorum (quorum sanguis de manu ipsius requiretur *Ezechielis cap. 3. versu 18. & 20. & cap. 33. versu 6. & 8.* Ita & illa inquirere ad corrigendum. Nam incumbit illi ex officio super gregem suum vigilare, & infirmitatibus eius remedia adhibere, non tantum cum illas certò nonit: sed etiam cum illarum habet indicia, quæ dent ei occasionem timendi. Cauendum autem ei est, ne subditis obliat tanquam certum, quod est dubium; nec alios qui rem ignorant, faciat de suo subdito suspicari peccatum aliquod in particulari, de quo infametur. In eo enim potest grauius peccare, cum obligatione ad famæ restitutionem. Priuatus autem non modo non tenetur, sed nec debet peccata proximorum inquirere, ut ea corrigat: ex *D. Thomæ doctrina in 2. 2. qu. 33. art. 2. ad 4.* cuius ille priorem partem probat: quia cum beneficia non debentur certæ personæ, sed communiter omnibus proximis: siue ea sint corporalia, siue spiritalia, non est necesse inquirere, quibus illa impendamus, sed sufficit ut impendamus illis qui occurrunt. Posteriorem partem verò ex eo confirmat, quod alioqui efficiamur exploratores vitæ aliorum: contra illud quod dicitur *Proverb. 24.* Ne quæras impietatem in domo iusti & non vates requiem eius. De his plenius Bannes in interpretatione *D. Thomæ a sequentem art. 3. dub. 2.* Tantum addiderim pro praxi, non esse de mortali facile damnandum priuatum omitentem correctionem fraternam: quia præceptum datum de ea, non est adeo euideus lumine naturali, quin fieri possit ab indoctis ignorari ignorantiâ inculpabili.

De tertia conditione qua est vtilitas sperata.

#### SECTIO IV.

337. **F**inis in quem elemosyna spiritalis instituitur, est emendatio peccatoris. De qua si non sit spes, obligatio eiusdem elemosynæ faciendæ cessat, tanquam inutilis. Quæ de re pro praxi notanda sunt sequentia documenta. Primum est, si timeatur quod peccator per correctionem, non modo non emendabitur, sed etiam peior fiet, abstinendum esse ab ea. Ita docet *D. Thomas in sequentem art. 6.* Rationem reddens, quod finis correctionis fraternæ sit particularis emendatio fratris: ideo quæ hac cessante, cessandum etiam sit ab illa. De correctione verò iudiciali respiciente bonum commune; ac pertinente ad solos Dei, & iustitiæ ipsius ministros, non est idem: quia bonum ipsum commune talem corrigi (etiam si corruptus verosimiliter peior fiat) exigit: ut ceteri inde timorem habeant, neque exemplo ipsius peccent; quia pestilente flagellato, stultus sapientior erit *Proverb. 19.* Et qui non vult a more iustitiæ, cogetur timore poenæ se intra modestiæ limites continere. Quamquam ad vitandum graue detrimentum publicum, quod ex huiusmodi correptione sequeretur, ea omitti possit: ut intelligitur ex *cap. Quia circa de consang. & affinit.*

338. Secundum documentum est, omittendam quoque esse correctionem fraternam, si frater ex eo pelus sit facturus;

quid quid peretur quod illius occasione, emendatio sequetur postea. Ratio est quia non licet facere mala ut eueniât bona *ex cap. 3. ad Rom. ver. 8.* Istud Bannes ad *cit. art. 6. D. Thomæ.* vltro admittit in duobus casibus. Prior est cum peccatum committitur occasione nostræ correctionis, directè fuerit contra Dei honorem: ut si conculcaturus est sacramentum, aut blasphematurus, vel cum fuerit nociuum tercie personæ: ut si perpetraturus est homicidium: vel deum fuerit scandalosum, ut si commissurus esset publicè aliquod flagitium. Posterior casus est, cum spes emendationis expectata ex nostra correctione, fuerit incerta seu non innixa insufficientibus coniecturis. In casu autem in quo certa esset talis spes, vult non procedere interdum. Verum quidquid sit in speculatione, tunc quoque videtur seruandum in praxi propositum documentum; quia in procuranda salute animæ proximi, muneris nostri tantum est imminens peccatis obuiare: nec quidquam facere licet, per quod in eadè incuratur; quidquid emendationis postea ex aliis causis securitū sit: sicut nec mihi licet erga me ipsum sic me habere, ut peccare velim eo quod sperem occasione mei peccati, me postea euasurum meliorem.

Tertium documentum est, Si certò scilicet latur proximum non fore ex nostra correctione deteriore, etiam si nesciamus fore meliorem; eam non esse omittendam. Ratio est, quia licet de salute proximi tunc dubitemus, non tamen desicramus. Vnde sicut medici corporis non dimitunt ægros de quorum incolunitate dubitant, si de ea non desperant; ita nec debeamus in tali casu dimittere peccatorem: agendo tamen cum eo adhibita omni quæ potest diligentia & cautela, ne occasione accipiat peius faciendi increpatus seuerius, aut exprobatone suorum peccatorum ad iram prouocatus. Quod si seruata lenitate & modestiâ in corripiendo, ille deterior fiat, imputabitur malitiæ ipsius: quæ id quod debuerat esse odor vitæ in vitam, ipsi est odor mortis in mortem *1. Iuxta Apost. 2. in posteriori ad Corinth. cap. 2.*

Quartum documentum est, Si dubitetur quidem, ne proximus deterior fiat ex nostra correptione, certo tamen scilicet nullam spem esse emendandi ipsum, & liberandi ab anime interitu, nisi ea adhibeatur, debere adhiberi. Hoc confirmatur similitudine Medicorum corporis, qui duobus viris ad aliqua potio futura sit ægroto salubris, an perniciosa: licet illi eam præbent, si certò eis conllet, sine ea ipsum moriturum esse.

Quintum documentum est, Adhibendam esse correptionem, cum certum est, quod non nocet etiam si dubitetur an sit profutura. Hoc habet Bannes ad *præced. art. 2. dub. vlt. concl. 2.* Et pater per illud *D. Augustini* relatum de poenitentia *disposit. 7. cap. Si quis autem.* Do tibi poenitentiam quia nescio: nam si scirem nihil tibi prodesse, non tibi darem, non te ad monerem non te tererem. Pater etiam exemplo medici corporis, qui tenetur infirmo applicare medicinam, quam certus est non posse ei nocere, & posse prodesse.

Sextum documentum, Si æquale dubium sit, num mea correptio profutura sit an nocitura, me debere ab ea abstinere. Quo dubio laboramus cum corripiendus nobis est ignotus, nescientes ipsius ingenium: ut post *Cas. Bannes in sequenti concl. 3.* attingit. Addens bonam huius documenti rationem; quod in eo casu exponam me periculo scandalizandi proximum: præbendo illi occasionem afficiendi me iniuriâ, aut aliter peccandi. Quare tunc melius erit ac tutius ipsam correptionem suspendere: nisi forte adesset casus extremæ necessitatis, in quo scilicet morte imminente aliquis cognoscere tur impunitus: nec alio medio iuari posset ad sufficienter respiciendum pro euadenda morte æterna, quam talis correctionis: quæ tunc eius est, tantum boni ut ei facile cedat periculum mali quod ex ea timeretur. Id quod illustratur exemplo medici qui breui morituro interdum medicinam adhibet vehementem, quam probabiliter existimat ei profuturam, & æquale probabiliter, quod mortem sit ei allatura.

Septimum documentum, Vbi nec apud ipsum peccatorem, nec apud alios circumstantes speretur vtilitas ex correptione, non esse obligationem faciendi illam. Sic enim ex *Nauar. in Enchir. cap. 24. num. 13.* si agens in terris hæreticorum videret aliquem docentem hæreses, aut indignè tractantem

factamentum, vel sacram imaginem, nec ex eo, quod se illi opponeret, vilius fructum speraret, non teneretur se opponere; aut ipsum corripere: imò si timeret malum malum, teneretur ab ea oppositione, & correptione cessare, vt satis intelligitur ex antecedentibus.

De quarta conditione, quae est opportunitas.

SECTIO V.

AD obligationem faciendi spiritualem elemosynam requiritur opportunitas: tum ex parte personae, tum ex parte temporis & loci. Et parte quidem personae; quod alius non adfirat quem id magis spectet. Nam si Praelatus adfir, aut alius maioris auctoritatis, aliave ratione aptior ad tale quid faciendum, non est tuum, sed illius corripere peccatorem qui occurrit. Quamquam si illi ad quos spectat corripere cognoscantur suo munere deesse, obligatio est supplendi defectum illorum, perinde ac cum diuites non subueniunt pauperi extreme indigenti, tenuiores qui possunt, obligantur vicem ipsorum in subueniendo subire: praesertim cum teneamur multo diligentius proximum seruare, vel eripere à morte animae, quam à morte corporis, tanquam longè maioris momenti. Quapropter cum indifferenter quilibet proximum à corporali morte, per corporalem elemosynam, vt patet ex sententia in extremo iudicio profertur ex D. Matthaei cap. 23. liberare teneatur si potest, multo magis tenebitur liberare à morte animae per elemosynam spiritualem, item si potest. Quod argumentum est Adriani in 4. de fraterna correptione, non procul ab initio.

Ex parte velò loci & temporis opportunitas requiritur: quia quo loco & tempore non potest correptio fieri sine graui scandalo, aut nocumento proximi, infamiae, non est faciendae: nec etiam tunc, aut vbi meritiò timeretur, correptione augendum potius quam minuendum peccatum: vt si commotus ferensque ira corripere, aut id fieret coram aliis à quibus detestetur: vnde ex correptione incitaretur ad malum potius, quam ad emendationem; perinde ac lignorum appositione non extinguitur ignis, sed magis inflammatur.

Ceterum ad discernendum quando licitum sit correptionem fratris differre, aut etiam omittere; quando velò illicitum, & peccatum mortale aut veniale, notanda sunt sequentia. Primum est, quando ex dilacione correptionis timeretur in intermedio tempore lapsus fratris in peccatum mortale, aut ipsius mors corporalis in peccato mortali, aut eiusdem vel reipub. vel etiam tertiae personae detrimetum notabile, quod vitari posset ipsa correptione fraterna: peccatum de se mortale esse eam differre: cum id sit contra charitatem in materia graui. Secundum est, quando nihil praedictorum timeretur, si correptio in aliud tempus differretur sine causa, talem dilacionem de se non esse peccatum plus quam veniale: quia non fit cum graui Dei vel proximi iniuria. Tertium est, si & nihil iam dictorum timeretur, & aliqua iusta de causa iudicetur aliud tempus opportunius expectandum esse: dilacionem non modo licitam, sed etiam debitam esse posse: vt quando multum refert expectare aliud tempus. Id quod relinquatur prudentis arbitrio.

Haec indicata sunt à D. Thoma 2. 2. q. 33. art. 2. ad 3. cum dixit tribus modis correptionem fratrem omitti posse: vno modo meritorie, cum ex charitate omittitur: pro quo adfert verba D. Augustini in lib. 1. de ciuit. Dei cap. 9. Altero modo cum peccato mortali: vt cum quis probabiliter praesumens de aliquo delinquire, quod posset ipsum à peccato retrahere, id omittit ob timorem, vel cupiditatem. Tertio modo, cum peccato veniali: vt cum timor & cupiditas tardio rem quidem faciunt hominem ad corrigenda delicta fratris, non adeo tamen, vt correptionem omitteret, si per eam se fratrem à peccato retracturum sciret: ita scilicet vt in animo suo charitatem praeponeat timori, & cupiditati. Cui doctrinae congruenter à mortali facile excusari possunt homines privati, propterea omitentes fratrem correptionem, quod aliquibus coeucturis, est factis leuibus, sibi persuadent nihil per eam se profecturos, aut certe tunc temporis ad eam non teneri: sic autem affecti sunt animo, vt cognoscere

se teneri, aut profecturos esse, nolent omittere, sed charitatem praeponeere siue timori, siue cupiditati, prout praecipuum de spirituali elemosyna obligat. De qua obligatione duae sunt difficultates, vna. An ea tanta sit, vt spirituali necessitati proximi debeamus subuenire cum nostro spirituali detrimento. Altera, An teneamur eidem subuenire cum vite propriae periculo.

Quas antequam explicemus illud antedictis addendum est, nonnullis inter conditiones requisitas ad obligationem corripiendi delinquentem, poni mansuetudinem & prudentiam: sed haec non requiruntur, vt quis obligetur ad tale quid faciendum: sed tantum vt illud debite faciat. Quamquam autem mansuetudo in corripiendo debeat ordinatè retineri: nonnunquam tamen expedit aliquam seueritatem seruari in obiurgando, praesertim à Praelatis. Caeteris vero Spiritus mansuetudinis, benignitatis, & humilitatis semper ferè commendatus esse debet: praesertim cum tales plerumque simus, quibus possit obici, Medice cura te ipsum] decaetque nos nostrae conditionis esse memores, qui pari miseriae obnoxij sumus, plerumque delictis suis infecti, de quibus alios corrigere necessitas nobis ex hac obligatione incumbit.

Explicatio difficultatis, An teneamur spirituali necessitati proximi subuenire cum nostro spirituali detrimento.

SECTIO VI.

Pro prioris autem difficultatis explicatione pleniore, accommoda: è ad vsum quotidianum, constituemus aliquot propositiones.

Prima est, hominem priuatum non teneri quidem inquietare aliorum spirituales necessitates, sicut tenetur suam tanquam gerens curam animae propriae: is tamen cognitis tenetur eas patienti subuenire, quae cumque sint, si absque aliqua sua iactura potest id facere; vt quando potest sola monitione. Prior pars probatur: quoniam inquisitio necessitatum alienarum ad eos tantum pertinet, qui aliorum curam gerunt, vt Praelati & Curati qui pro officio suo, tenentur spirituali saluti subditorum suorum inuigilare. Posterior vero, probatur ex eo, quod lex charitatis, & misericordiae non minus id exigit in spirituali necessitate, quam in corporali de qua Exodi 23. dicitur: Si videris a sinum odieris te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.

Secunda propositio est, Nos debere anteferre bonum nostrum spirituale, bono spirituali proximi. Ratio est: quia lege charitatis plus debet homo suam, quam proximi animam diligere ex D. Thomae 2. 2. q. 26. art. 4. Et confirmatur: quia communicatio in summo bono, in qua fundatur charitas; magis immediatus; obuenit homini per suam animam, per quam tale bonum participat, quam per animam proximi, per quam solummodo communicat.

Tertia propositio est, Non esse licitum, peccando detrimentum spirituale pati propter spirituale bonum etiam totius communitatis: quod est, non esse licitum committere peccatum, etiam si id appareat necessarium esse ad salutem, non vnus tantum hominis, sed etiam totius communitatis. Haec est D. Thomae in cit. art. 4. communiter à Theologis recepta vt notat Greg. à Valen. 2. 2. disp. 3. q. 4. puncto 3. proceditque quantumcumque peccatum fuerit solummodo veniale ex eod. D. Thomae in seq. q. 43. art. 7. ad 5. Probatur autem per illud Matth. 16. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucratur, animae vero suae detrimentum patitur? Indicat enim peruersum esse, propterea saluti anteponeere salutem etiam totius mundi. sic in per illud D. Pauli ad Rom. 3. Et non sicut blasphemamur, sicut nos quidam alijnt dicere, Faciamus mala vt ueniant bona.] Accedit quod implicet contradictionem, aliquid simul licere & peccatum esse; cum illud sit placere, & hoc displicere Deo.

Sed obijci potest ex c. Duo mala, distin. 13. quod ex duobus malis, minus eligendum sit. Respondet autem Bannes ad citatum art. 4. D. Thomae, dubio prioris: id non habere locum in iis quae mala sunt intrinsecè naturae suae, adeo vt nunquam possint, licet fieri: vt mendacium, quod dicere nunquam



licet prout D. August. docet ad Psalm. 5. Unde illud Michææ 2. Vitam non esse vir habens spiritum & mendacium potius loqueretur: intelligendum est, ut ex D. Hieron. Bannes habet, non quod Propheta optet mendacium, sed id quod tali mendacio esset coniunctum; nempe liberationem populi à malis quæ ipse prædicebat: ad eum modum nimirum, quo alicui imminet ipsi mala denunciantes dicimus, Placeat Deo ut si mendax. In iis autem quæ extrinsecè, seu ob prohibitionem tantummodo Superioris, mala sunt: propositam regulam moralem posse locum habere. Ita quæ allata propositio non est ita accipienda, quasi negemus licere, cum ad proximi salutem necesse fuerit, quædam facere, quæ etsi mala sint, non tamen intrinsecè: ut in die festo operari; carnes alicui in die ieiunij apponere, & similia; quæ non aliter mala sunt, quam quia prohibentur ab Ecclesia. Nam si ad salutem proximi necessarium sit aliqua talium fieri, ipsa per eam necessitatis circumstantiam sic iustificatur, ut fiant licite, tanquam prohibitione eorum non urgente in tali casu. Obijci etiam potest, quod si nullo modo liceat peccatum committere pro salute etiam spiritali proximi, neque licere pro eadem exponere se periculo peccandi, quod falsum est: quia prudens charitatis feruor, nonnunquam excitat hominem cum muliere ut à turpi vita eam reuocet, familiariter tractare, quod non caret peccandi periculo. Excitat etiam Religiosum cum secularibus versari ad procurandam ipsorum spiritalem salutem: qui erit in maiori peccandi periculo, quam si continere se in sua cellula.

352. Respondendum est, id tantum procedere cum peccandi periculum non fuerit probabile, ut si quis expertus sit se non solere succumbere: aut quamuis nondum expertus sit, existimat tamen se cum Dei auxilio non consenturum in peccatum. Si enim sic affectus, res huiusmodi de se periculosas rationabili de causa propter Deum aggrediat; non modò non peccabit, sed opus insigne charitatis magnique meriti faciet, nec auxilium diuinum deerit ei ad lapsum vitandum; si sollicitus sit nihil omittere eorum, per quæ ab illo sibi caueat. Cum autem peccandi periculum probabile fuerit; quia ei se exponere, est in probabilem peccati causam consentire, & consequenti peccare: iuxta illud Ecclesiasticus 3. Qui amat periculum peribit in illo. ] nullo sanè modo id ex prudenti charitatis feruore potest fieri.

353. Quarta propositio est, Pro spiritali salute alicuius communitatis, immo & pro particulari priuata persona si extrema necessitas urgeat, teneri quæque velle pati aliquam iacturam, circa culpam tamen, in bonis suis spiritalibus, si aliter subueniri non possit, neque constet quod alius subueniturus sit. Exemplo sit vir doctus, & ad procurandam aliorum salutem idoneus: qui in eo munere experietur se minus feruidum in oratione, quam fuerit cum vitæ contemplatiuæ omnino vacaret: Is enim tenetur talem iacturam pati potius, quam alios in ea necessitate deserere. Probat: quia si proximus sit in extrema, aut quasi extrema necessitate corporali, tenebitur quis sub mortali suam etià feruētissimam contemplationem relinquere ad subueniendum ei per elemosynam corporalis subsidium: multò magis igitur, si ille sit in extrema spiritali necessitate, tenebitur eidem subuenire per elemosynam spiritalem: quæ & superioris generis est, & sine in longè de se præstantiorem respicit. Adde illud Apostoli ad Philipp. 1. Coartator autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos. ] His enim verbis satis ostendit se spiritale suum commodum accelerandæ consecutionis gloriæ, postpositurum spiritali commo eorum quos instruebat. Sicut & exemplo ipsius fecisse existimandus est B. Martinus, cum morti vicinus dixit: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.

354. Quinta propositio est, In aliis proximorum necessitatibus spiritalibus, obligationem subueniendi cum aliqua spiritali iactura, non esse eandem in priuatis, ac in aliis quibus alienæ salutis cura incumbit ex officio: Probat: quia non postea alioquin declarat quæ ratione horum maior sit quam illorum obligatio; aut cur hi potius, quam illi communiter accipiant stipendium, à proximis deanturque ex officio teneri ad subueniendum: ac nisi subueniant, potius censentur infideliter agere, quam alii.

355. Pro praxi autem quotidiana: ad aduertendum primò, cauendum esse à tentatione diaboli, qua quis velit non tam ex charitate, quàm ex carnalitate exercitia sua spiritalia omittet: e ad procurandam aliorum spiritalem salutem, de ea sollicitus, non quidem affectione sincera: sed quæret quæ sua sint, non quæ Iesu Christi, iuxta illud ad Philippenses 6. 2. Omnes querunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. ]

356. Aduerte 2. omissione exercitij spiritalis ad subueniendum spiritali proximi necessitati, immo & temporalis, propter Deum, seu Dei intuitu: nempe quia ad id præceptum Dei vel Superioris Dei autoritate præcipiens obligat; vel certe ponit teratibus circumstantiis iudicatur id ad maiorem Dei gloriam esse. Eiusmodi inquam omissione, nihil meriti amittit: si quidem tunc meritum habetur; tum boni operis, quod erga proximum exercetur, tum etiam mortificationis, qua quis se propter Deum priuat proprio spiritali commo: tum de munus operum omissionum, quando sic ea omittit quis, ut absolute cupiat ea Dei amore facere. Atque ita Religiosus qui spiritalibus exercitiis se totum pro Dei amore tradidit; si Superioris iussu debeat occupationem admittit: e, ab illius exercitiis distrahentem: ut literarum studium, vel procurandam negotiorum, nihil amittit meriti, quando sui non obliuiscit. Nam amplius ac securum consequitur fructum obedientiæ suæ, quàm propriam voluntatem propter Deum machat; neque amittit meritum debitum illis exercitiis, quibus operatur vacare pro Dei amore: & vacaret, nisi maior Dei gloria suaderet alia præferenda.

357. Aduerte postremò, ut corporalem sic spiritalem necessitatem esse posse: tum communem, cui proximus illam patiens possit providere sine magna difficultate: ut potest is qui peccatum suum agnoscens valet ipsum depellere per conuersionem ad Deum: tum etiam grauem, cui illam patiens nequit sine magna difficultate providere: ut quando ipse laborat aliqua vincibili ignorantia, aut praua afluertudine: tum demum extremam, cui non nisi cum summa, & penè impossibili difficultate, ille qui eam patitur providere potest; vel ob defectum ingenij ad ignorantiam vincendam: vel ob voluntatis infirmitatem ad superandas peccati illecebras. Cuiusmodi necessitatis exempla sunt: cum populus rudior, qui nequit satis veritatem iudicare, sed ducitur ab heretico conuocatore. Item cum quis exercet negotiationem iniustam, quæ talem esse nescit, sed culpabiliter: quia contentus est, quod iniustitiam non detegat, neque ipse sit idoneus ad eam detegendam: neque alius appareat, qui ipsum moniturus sit. Item cum puella à patre prostituenda merito creditur, spiritaliter peritura. Similiter cum quis in periculo mortis constitutus conuiscit, probaliter, se sufficientem contritionem habere non posse, sine sacramentali confessione, petit Confessarium. In quibus casibus & aliis similibus obligatio est subueniendi proximo, non modò cum aliquo nostro spiritali detrimentum, circa culpam tamen, sed etiam cum vitæ propriæ periculo, ut in sequentibus dicetur.

Ad vitandos autem scrupulos qui circa talem obligationem conscientias timoratorum vexare possent: notandum est cum Greg. à Valent. disp. 3. quest. 4. puncto 3. sub finem. non esse censendum proximi laborare extrema necessitate, si quomodocumque ad tempus futurus sit extra Dei gratiam: sed si certò aut probabiliter putetur extra eam moriturus, & ideo incururus æternam damnationem; quia nimirum, apparet breui efflaturus animam; aut ex circumstantiis iudicatur longo tempore in malo statu perseveraturus, probaliterque in eo migraturus ex hac vita. Notandum est etiam nos de tali necessitate proximorum non teneri inquirere, qui curam illorum non gerimus. Etenim ea inquisitio actus est providentiæ habendæ de aliorum commo dis vel incommodis: quæ incumbit tantum iis qui curam illorum ex officio gerunt: nec cæteris aliud incumbit, quam subuenire occurrenti eis proximorum necessitati. Accedit quod nec si eam cognoscamus, debere nos pro ea angustia sollicitudine, si probaliter credamus alios esse qui laboranti sint opem lauri, aut si neminem sciamus quidem, sed nec spem probabilem habeamus, quod possimus per nostram operam necessitati eiusmodi efficaciter subuenire, ideo quæ si minus id frustra conatur: quod non esset prudentiæ.

Explicatio alterius difficultatis, An teneamur spiritali proximi necessitati subuenire, cum vita propria periculo.

## SECTIO VII.

356. **E**xponere periculo vitam propriam pro spiritali proximorum salute exemplum Christi inquit: de quo 1. Ioan. 3. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Id autem esse in præcepto, indicat verba ipsius Christi Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. & patet ex eo, quod charitatis ordo ex D. Thoma 2. 2. q. 44. art. 8. sic in præcepto tanquam internus modus illius dilectionis, de qua datum est præceptum charitatis. Atque talis ordo postulet, ut salus animæ proximi, salutis nostri corporis præferatur: ex eiusdem D. Thomæ doctrina in præcedenti quæst. 26. art. 5. communiter à Theologis recepta; ut monet Greg. à Valen. in eod. puncto 3. assertio 5. Vbi præter rationem D. Thomæ, hanc adfert: quod si unus inuicem membra eiusdem mystici corporis Christi, ex ca. 4. epist. ad Ephes. ratioque dicet, ut in corpore membrum unum, illud quod habet in se incomparabiliter minus, expendat pro bono maiori alterius membri.

357. Pro quo tempore autem obliget tale præceptum explicatur propositionibus sequentibus. Prima est, occurrente proximi extrema necessitate salutis, unumquemque teneri sub mortali vitam pro eo exponere si id fuerit ad ipsi subueniendum, necessariam & efficaciæ remedium. Hanc tangit Nauar. in Enchir. cap. 24. num. 11. & ad citatum D. Thomæ art. 5. exprimunt Bannes, Aragon. & Greg. à Valen. communiterque recipitur tanquam ex eo satis perspicua: quod præceptum affirmatiuum, quale est propositum, si quando alias, maxime in casu extremae necessitatis vim obligandi habeat. Itaque si quem cognoscam, cum ignorantia vincibili esse in peccato mortali, cui non obuiabit nisi ipsum de modo quo illud vincere debeat instruxero; atque adeo in illo perseveraturus sit cum periculo probabili moriendi in statu damnationis, teneor ipsum instruere etiam cum propriæ vitæ periculo. Similiter si sciam idiotam peruertendum ab hæretico, & in hæresi, aut cum ignorantia fidei ad salutem necessariæ discessurum ex hac vita, teneor quoque cum eodem periculo ipsum instruere: quia necessitas spiritalis tunc est extrema; & sic de similibus.

360. Secunda propositio est. Pari quoque modo in graui proximorum necessitate, obligari eos quibus ex officio incumbit cura salutis animæ ipsorum. Hæc etiam traditur ab iisdem authoribus, communiterque recipitur per illud Ioan. 10. Bonus pastor animam dat pro ouibus suis. Quod non esse tantum intelligendum de ouibus existentibus in extrema necessitate, patet: quia non posset alioqui inde colligi maiorem esse Pastorum quam aliorum obligationem subueniendi in spiritali necessitate suis ouibus; quandoquidem omnes tenentur subuenire patienti extremam, ut præcedens propositio ostendit. Hinc Gregor. à Valen. in eodem puncto 3. sub finem, infert pastores animarum tempore pestis non obstantè periculo vitæ, tenere audiri confessiones suorum subditorum, eisque alia sacramenta & spiritalia subsidia impendere; neque posse tunc relinquere munus pastoris; nisi esset alius idoneus, qui in eodem munere vellet sufficienter occupari. Sicut nec miles ad bellum conductus potest suo muneri renunciare cum hostes, ingruunt & inuadunt. Nam ut is pro eo maxime tempore censetur conductus: sic & pastor ab ouibus necessaria ad temporalem vitam accipit potestimum, ut in necessitate spiritali eis subuenire teneatur. Videri possunt quæ habet Bannes ad præced. quæst. 33. art. 3. dub. 4. concl. 4. & plenius Suarez. in tertiam partem tomo 4. disputat. 44. sect. 3.

361. Tertia propositio est, Perfectionis quidem esse, non tamen obligationis sub peccato, in graui (non tamen extrema) necessitate spiritalis salutis proximorum, priuatam personam subuenire eis cum periculo propriæ vitæ, aut alterius grauis iacturæ. Hæc est D. Thomæ 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3. & interpretum ipsius. Probatur verò, quia non est rationi consentaneum cum tanta seueritate obligare ex charitate in tali casu, in quo necessitatem patiens, cum non sit extrema, potest ipse sibi subuenire faciendo quod in se est; præsertim cum non sit futurum sufficiens Dei auxilium, illud ut par est requirenti. Laudabile verò est ac perfectionis, generoso animo vitæ periculum aliaque detrimenta temporalia subire pro bonis spiritalibus proximi iuxta illud Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quod cum dicatur absque limitatione, intelligi potest non tantum de extrema, sed etiam de alia graui necessitate proximorum. Et ita, ut ad citatum D. Thomæ locum Caiet. notat, laudantur religiosi, qui tempore pestis, vitam suam periculo exponunt, administratione sacramentorum, aliisque subsidijs iuuando infirmos in spiritalibus, quamuis ad id non teneantur, sed licitè possint corruptum aërem fugere.

Laus Deo & Beatæ Virgini.

